CAPUT XXX.

De Artaxerxis Longimani, Darii Nothi, Artaxerxis Mnemonis, & reliquorum Perfidis regum epocha, deque regni totius intervallo.

ARTAXERXI Longimano Xerxis filio annos quadraginta plerique Scriptores tribuunt; veluti Diodorus lib. XII. Eusebius in Chron. & alii. At Clemens Alexandrinus I. Strom. uno ampliùs; Ctesias duobus. Mortem ejus Thucydides lib. IV. confert in annum VII. belli Peloponnesiaci, quem nos ostendimus esse Periodi Julianæ 4289. quartum Olympiadis LXXXVIII. cui & Diodorus suffragatur. Cùm igitur initium ejus capite XXV. constitutum sit in anno Periodi Julianæ 4249. consequens est annum ejus XI. cœpisse anno 4288. & sequenti, 4289. desiisse, quo & primus successoris ejus iniit. Qua in re non mediocri errore lapsus est Scaliger, qui in lib. V. de Emendat. Artaxerxis obitum, quem in annum VII. belli Peloponnesiaci contulit Thucydides, cadere putat in annum Periodi Julianæ 4288. & in hiemis principium. Atqui annus VII. belli cœpit vere anni 4289. ut indubitatis argumentis ostendimus. Post Artaxerxem reguavit Xerxes anno uno, ut Diodorus auctor est: ut autem alii, eodem referente, quos Eusebius sequitur, mensibus II. Ctesias diebus XLV. Excepit hunc Sogdianus, cui Diodorus & Eusebius menses VII. Ctesias menses VI. dies XV. imputant. Ita fit, ut menses illi IX. reliquias anni Julianæ Periodi 4289. & partem fortasse consequentis auferant. Qua ratione Darius Nothus, qui post illos regnavit, iniit anno 4290. & castigandus Scaliger, qui anno 4289. Darii primordium adscribit. Sed præter argumenta superiora illo insuper ipso refellitur, quo suam opinionem approbat. Scribit enim Thucydides lib. VIII. anno belli Peloponnesiaci XX. Tissaphernem cum Lacedæmoniis fœdus iniisse, quod ibidem descriptum ac notatum legitur anno Darii XIII. Itaque annus Darii XIII. concurrit cum XX. belli, qui est Periodi Julianæ 4302. ex quo primus Darii convenit in annum 4290. Hinc annos regni XIX. Diodorus assignat, & Eusebius. Diodorus mortuum refert anno IV. Olympiadis XCIII. qui cœpit anno Periodi Julianæ 4309. Ita verisimile est excessisse Darium ineunte IV. Olympiadis anno, Periodi Julianæ 4309. ac XIX. annis absolutis vicesimum inchoasse.

Pag. 285. edit. Wechel.

Error Scaligeri.

Pag. 594.

Dario Notho successit Artaxerxes ὁ Μνήμων anno eodem, quo Darius obiit. Huic annos XLIII. Diodorus, & Scaliger hoc in libro tribuunt. At Eusebius, & alii annos tantùm XL. quos & Scaliger in Isag. Can. sequitur, eáque probabilior est opinio. Ac nescio an non tres illos annos, qui suprà quadragenos excurrunt, superstite adhuc parente regnaverit. Regnante Artaxerxe, Cyrus minor ejus frater expeditionem in ipsum suscepit. Eam Diodorus confert in annum IV. Olymp. XCIV. Archonte Exæneto, qui à Diogene Laërtio, & Scaligero in Olympiadum Collectaneis, vocatur Synænetus, anno Periodi Julianæ 4313. Urbis conditæ CCCLIII. Sed nescimus utrum priore, an posteriore anni Iphitei semestri Cyrus occubuerit. Qui posteriore censent; iidem ferè anno primo Olymp. XCV. rem gestam consignant. Sed revera contigit anno IV. non tertio, ut Scaliger ad annum Eusebii MDCXVII. putat, & mox ad annum sequentem, quartum ex Laërtio præfinit. Diodorus, Laërtius, Eusebius in annum quartum referunt, ut & Olympiadum Collectanea quæ citavi. Iidem Socratem anno sequente interfectum asserunt, primo Olymp. XCV. Archonte Lachete, anno Periodi Julianæ 4314. Successit Artaxerxes Ochus XXVI. annis: inde Arses III. ac Diodoro IV. Postremus Darius Arsami filius annis VI. Desiit Persarum regnum anno illo, quo Darius ultimus regum mortuus est: hoc est subinde post Arbellicam Alexandri victoriam, quæ, ut postea docebitur, incurrit in annum Periodi Julianæ 4383. mundi 3653. Hic igitur terminandum Persarum Imperium. cujus initium anno Periodi Julianæ 4155. * Intervallum annorum solidorum CCXXIX. mensium IX. Agathias verò lib. II. annis CCXXVIII. stetisse Persarum regnum asserit. Malè porrò Scaliger Isagog. Canon. lib. II. Persico regno annos imputat CCXXXI. cùm uno minùs illius ratiocinia colligant. Siquidem Cyrus anno Periodi Julianæ 4154 iniit, & ultimus Darius anno 4283. desiit. Intervallum enim est annorum CCXXX. † At Eusebius annos numerat CCXXXI. Primum enim Cyri confert in annum Abraami MCCCCLVII. & postremum Darii in annum MDCLXXXVII. Annos quippe Cambysi & Magis novem assignat; cùm octo tantùm solidos impleverint. tum Artabano Xerxis interfectori annum unum tribuit. Aliter Ctesias, & Clemens Alexandrinus I. Strom. & alii quidam. Sed qui à nobis præfinitus est numerus annorum certior est. Nititur enim pluribus, & indubitatis Astronomorum observationibus, quas in epocha Cyri, Cambysis, & Darii protulimus; quibus & alia capite de pugna ad Arbella postmodum accedet. Quocirca Regum Persarum Laterculum ex subductione ista descripsimus.

Scaliger error alius.

Iterum alius error Scaligeri.

* Emendabat in suo Codice *Petavius*: intervallum annorum solidorum 229. vel 228. & mensium aliquot. Agathias verò &c.

† *Tertullianus* contra Judæos cap. VIII. post Ochum, qui & Cyrus, cui dat annos 24. ponit Argum anno I. tum Darium Melam annis 20.

LATERCULUM PERSICI IMPERII.					Olympias quâ cœperunt.	
	Reges	Tempus regni.	Initium in Per. Juliana.	Initium in annis mundi.	Olympias.	Anni Olymp.
I	Cyrus	XXX.	4155	3425	LV	I
II	Cambyses	VII. m. V.	4185	3455	LXII	IV
III	Smerdis Magus	m. VII.	4192	3462	LXIV	III
IV	Darius Hystaspis F.	XXXVI.	4193	3463	LXIV	IV
V	Xerxes	XX	4229	3499	LXXIII	IV
VI *	Artaxerxes Longim.	XL	4249	3519	LXXVIII	IV
VII	Xerxes II.	m. II				
VIII	Sogdianus	m. VII. d. XV	4289	3559	LXXXVIII	IV
IX	Darius Nothus	XIX	4290	3560	LXXXIX	I
X	Artaxerxes Mnemon	XL	4309	3579	XCIII	IV
XI	Artaxerxes Ochus	XXVI	4348	3618	CIII	III
XII	Arses	IV	4374	3644	CX	I
XIII	Darius Arsami F.	VI	4378	3648	CXI	I
Colliguntur anni CCXXIX. m. IX.						

CAPUT XXXI.

De Aliensi Romanorum clade. variæ hallucinationes Scaligeri. verum illius tempus ostensum.

NON paucis absurditatibus, falsisque divinationibus caput istud implicavit Scaliger. Harum prima est; quòd ex Tabulis Censoriis M. Catonem ante omnes deprehendisse scribit, ab exactis Regibus ad Urbem à Gallis occupatam annos absolutos esse CXX. ‡ *Quod ut certum est*, inquit, *ita reliquum retrò tempus ad prima Palilia est controversum. Controversia autem tota est in uno anno: quòd alii per* CCXLIV. *annos, alii uno minùs Romæ regnatum contendunt. Quarum duarum factionum altera Romam conditam vult tertio anno* VI. *Olympiadis; cujus sententiæ princeps Varro; altera uno anno seriùs repetit prima Palilia; cujus sententiæ auctor unicus M. Cato.* Jam hoc falsum esse demonstravimus cap. XLVI. libri superioris, ubi de epocha Romanæ Urbis actum; & hujus libri cap. XIX. quo de primis Coss. disseritur. Frustra quippe Catoni hæc opinio tribuitur, quæ quarto VI. Olympiadis anno conditum Urbis assignat. Præterea nec illud esse verum ostendimus, à pulsis Regibus ad captam à Gallis Urbem annos intercedere CXX. ita ut centesimus vicesimus primus ille sit; quo Urbs est capta. Nam CXIX. dumtaxat ut paria Coss. sic anni absoluti sunt: ut fusè capite illo XLVI. declaratum est. Falsum denique est, controversiæ illius, quæ de uno anno movetur, cum alii regnatum esse Romæ putant annis CCXLIII. alii CCXLIV. inde nasci, quòd priores in annum VI. Olympiadis quartum Natalem Urbis conferant; posteriores in tertium. Siquidem Dionysius, qui vel in eumdem annum cum Catone, vel uno etiam tardiùs epocham Urbis conjicit, annos nihilominus Regibus imputat CCXLIV. non CCXLIII. Idem & Eusebius facit in Chronico. Hæc autem Scaligeri persuasio ex falso principio manavit, quòd annum primorum Coss. immotum esse credidit, & ab omnibus sine ullo discrimine constitutum in anno Iphiti CCLXVII. quod cap. XVI. superioris libri refutavimus.

His præmissis Scaliger annum captæ Urbis definit esse Periodi Julianæ 4325. Nam intervallum à Regifugio ad cladem Aliensem annorum est CXX. qui additi ad annum 4205. quo Reges pulsi sunt, efficiunt 4325. qui est annus Urbis conditæ Varronianus CCCLXV. à Palilibus verò Catonianis, CCCLXIV. Atqui argumentatio illa falsum sumit; centesimo vicesimo primo Consulatu Urbem esse captam, quod παραλογισμῶς putavit Halicarn. Revera enim Consulatu CXX. capta est. Nam non plura quàm CXIX. paria Coss. absoluta sunt à primis Coss. ad Urbis ἅλωσιν: ut ex Onufrianis, Sigonianis, imo Capitolinis ex fastis colligitur. Itaque anno urbis secundùm Varronem, & Onufrium CCCLXIV. capta est Roma: at secundum Capitolinos Fastos, & Sigonium anno CCCLXIII. Detractis illic annis CCXLIV. quibus solidis regnatum esse censet Onufrius; hic verò CCXLIII. utrobique Consulatus, annique restant CXX. non, ut Dionysius, & eum imprudenter secutus Scaliger CXXI. Biennio igitur tardiùs Aliensem cladem Dionysius, quàm Varro consignat; Scaliger uno anno. Plinius porrò lib. XXXIII. cap. I. hanc Varronis, & nostram sententiam, non Scaligerianam, ut ipse falsò sibi persuadet, affirmat, cùm dicit anno CCCLXIV. captam esse Romam. *Deductis*, inquit Scaliger, CXX. *annis de* CCCLXIV. *relinquitur annus currens Regifugii ducentesimus quadragesimus quartus à Palilibus Catonianis.* Verùm si CXX. anni ab Urbis captæ anno deducantur, neque in Varroniana, neque in Catoniana putatione qui relinquitur annus, Regifugii est, hoc est primi Consulatus, sed annus Regum ultimus. Non enim CXXI. anni, uti dictum est, ab ultimo Regum, sive Tarquinii anno ad Urbis ἅλωσιν numerandi sunt, sed CXX. Unde ex Pliniano calculo deductis annis CXIX. qui remanet CCXLV. annus est Regifugii, sive Consulatus Bruti, & Tarquinii primorum Coss. Hæc vera ratio; Scaligeriana verò παραλογική.

Falsa Scaligeri opinio & argumentatio.

De tempore captæ Urbis hæc ab antiquis memoriæ prodita reperimus. Livius initio lib. VI. victos refert Romanos a. d. XV. Kal. Sextiles, qui propterea nefastus est habitus. Plutarchus verò Quæst. Rom. Probl. XXV. eo die fusos ad Aliam Romanos scribit, qui est postridie Eidus Quintiles: ut sit XVII. Kalend. Sextiles, sive Julii

Tempus captæ urbis à Veteribus definitum.

* Deatur Longimano & duobus sequentibus anni 40.

† *Polybius*, lib. I. pag. 5. conjicit in ann. XIX. post victos Athenienses ad Ægos potamon & XVI. ante Leuctricam pugnam. Id acciderit Archonte Theodoto. Sed perperam; Vide *Onuphrium*, Petavius.

Julii XVI. Plutarch. in Camillo pugnatum fuisse περὶ τροπὰς θερινάς, περὶ τὴν πανσέλινον. Scaliger in libro II. hujus operis, & in V. multa de tempore illo ἄλογα, & ἀσύστατα scripsit. Libro quidem II. anno primo Olympiadis CXVIII. captam à Gallis Urbem ex Halicarnassensi putat, plenilunio Solstitiali, hoc est ipso die Iudicri Olympici. Neomenia mensis Olympici XI. Julii. Ergo XXV. Julii sine dubio capta fuit Urbs, non in Solstitiali Plenilunio, ut Plutarchus affirmat. Nam solstitium Græcia vocabat VIII. Julii. Ita ille libro secundo. At in V. censet Urbem esse captam anno Periodi Julianæ 4325. cyclo Lunæ XII. Solis XIII. anno IV. Olympiadis CXVII. desinente. Cùm autem Plutarchus auctor sit circa Solstitium in Plenilunio accidisse, Solstitium autem sit VIII. Julii, Thamuz XV. cujus character 6, 14, 3. anno Judaico 3372. Σκιροφορεμῶν ἕκτῃ ἱσταμένου, Σκιροφορεμῶν ποταρεσκαιδεκάτῃ πτυπανείας, XV. diebus ante Magistratum Pyrgionis: ex utroque Scaligeri loco evidens est illius opinio, captam esse Romam anno illo, quo Olympias CXVIII. celebrata est, qui est Periodi Julianæ 4325. cyclo Lunæ XII. Quod verò lib. II. Plenilunium anno illo incidisse refert in XXV. Julii, id absurdum est. Cyclum enim oportuisset esse II. non XII. ut Neomenia Iudicri Olympici in XI. Julii caderet. Nam Nicæno sæculo cyclus II. adhæsit diei IIX. Julii: ad quod tempus ab anno captæ Urbis ampliùs DCC. anni interjecti sunt, ac plus bidui Lunæ anticipatio collecta. Aut igitur II. cyclo istud evenire debuit, aut certè XIII. Neutrum autem verum est. Præterea falsum est quod & illis duobus locis, & alibi passim tuetur, Solstitium in VIII. Julii defixum fuisse per illa tempora, & eum cardinem anni popularis, ac lunaris exstitisse. quod libro primo confutavimus. Ac Dionysius quidem pro confesso ab omnibus haberi testatus est, anno illo, quo cœpit Olympias CXVIII. Archonte Pyrrhone, sive Pyrgione, Gallos Urbe potitos esse: qui est annus ex Varrone & ipsius Halicarnassensis ratiociniis à conditu Urbis CCCLXVI. quo Tribb. militum fuere T. Quintius Cincinnatus, Q. Servilius Julius Tullus, cum aliis tribus. Verùm Plutarchus negat certum annum captæ Urbis extricari posse: unde constat haud adeo fixum atque exploratum fuisse Veteribus, ut Dionysius credidit. Imo & ipse non mediocriter hallucinatur, dum à primis Coss. ad annum τὴν ἅλωσιν annos numerat absolutos CXX. ita ut inchoato jam CXXI. clades ista contigerit. Nam longè aliter se res habet. Evolvantur annales veteres, & Consulares fasti recensentur. Omninò anno Varroniano CCCLXIV. Capitolinorum verò fastorum, CCCLXIII. occupatam à Gallis Urbem invenies, eo videlicet anno, quo Tribuni militum fuere cum aliis totidem, Fabii tres fratres, illi ipsi, qui ad Gallos Clusium obsidentes legati missi, contra jus gentium dimicare ausi fuerant: quos cùm Galli à Romanis deposcerent, ubi nihil impetratum, imo verò Tribunos illos esse factos audierunt, ita perciti contra Urbem arma verterunt. Ita Livius. Iis ergo Tribb. militum Consulari potestate cladem Urbis accidisse constat. At horum sanè Magistratus centesimus est vicesimus à primo Consulatu. Proinde nonnisi CXIX. anni à Regifugio ad Urbis ἅλωσιν vertentes, & absoluti numerandi sunt. Anno itaque Periodi Julianæ 4324. Olympiadis XCVII. anno III. ineunte, Archonte Demostrato; Urbis Varroniano CCCLXIV. capta est Urbs à Gallis, cyclo Lunæ XI. Solis XII. littera G. Annus erat Judaicus 3371. cujus Tisri character 7, 21, 917. feria I. Sept. X. cyclo Solis XI. littera A. Addito charactere VIII. mensium, nonus Iiar. (Fuit enim hic annus embolimæus.) iniit Junii II. cujus character 7, 16, 494. Cyclo Solis XII. littera G. Plenilunium medium Junii XVII. decem ante Solstitium diebus; quod ævo illo circa XXVII. Junii commissum fuit. Ideo Plutarchus ὑποφητικῶς ita concepit, περὶ τροπάς. non, ut opinatur Scaliger, circa VIII. Julii. In anno Romano, qui tunc in usu erat, XV. Kal. Sextiles, sive Julii XVIII. dies erat CXCV. à Kal. Jan. uti lib. II. docuimus. Quare videntur Kal. Jan. tum Decembris Juliani V. cœpisse. Nam ab eo ad Junii XVII. dies sunt CXCV. Verùm nescimus utrum eodem anno Merkedonius intercalatus fuerit. Itaque conjecturis abstinemus.

Verum tempus Urbis captæ.

CAPUT XXXII.

De Leuctrica pugna.

LACEDÆMONII Cleombroto duce ad Leuctra Bœotiæ ab Epaminonda victi & ingenti clade sunt affecti; cùm longè pauciores Thebani essent, quàm Lacedæmonii. * Ea clades à Diodoro, & Scaligero in Olympiadum Collectaneis, confertur in annum secundum Olympiadis CII. Archonte Phrasiclide, qui annus iniit Periodi Julianæ 4343. Cyclo Lunæ XI. At idem Scaliger levissima conjectura ductus hic in annum sequentem rejicit. Movet ipsum, quod Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum ab initio belli Peloponnesiaci ad Leuctricam cladem ponit annos absolutos IXI. Initium autem belli Peloponnesiaci annus est 4283. Periodi Julianæ. Sed falsum est Eratosthenem annos absolutos dicere. Scribit ille ab initio Peloponnesiaci belli ad finem annos esse XXVII. Hinc ad Leuctricam pugnam annos XXXIV. ex quibus confiunt anni IXI. Nimirum Eratosthenes annos inchoatos pro vertentibus usurpare potuit. Itaque nihil prohibet, quin anno Periodi Julianæ 4343. Lacedæmonios tantam cladem accepisse credamus.

CAPUT XXXIII.

De initio Alexandri Magni, ejusque natali. Errata Scaligeri. Plutarchus ab ejus reprehensione vindicatus.

PHILIPPUS Alexandri pater inter ludos à Pausania interfectus est Ægis Macedoniæ, cùm regnasset annos XXIV. auctore Diodoro, qui id accidisse refert anno primo Olympiadis CXI. Pythodoro Archonte, qui & Pythodemus ab Anonymo nominatur. Consentit & Eusebius in Chronico, qui initium Alexandri conjicit in annum primum Olympiadis CXI. quam Ἀνολυμπάδα vocarunt. Hanc ipsam Olympiadem Scaliger putat esse celebratam XVIII. Augusti. Imposuit illi falsa, & commentitia methodus anni Græci, & Olympici, quem ex populari nescio quo, minimèque lunari contexuit. Sed nos commentum istud libro primo subvertimus. Ex quo alterum etiam πάρεσμα natum est, quod subinde colligit, de die quo natus est Alexander, & quo mortuus est. Quod enim Plutarchus in ejus vita scribat, Hecatombæonis, quem Loum Macedones nominant, sexta die natum Alexandrum, & eodem tempore tres optatissimos nuncios ad Philippum esse perlatos; victoriam de Illyriis, tum Olympicis ludis reportatam; & natalem filii; ex anni Græci, & Attici methodo tempus Hecatombæonis deducit. Annus enim Olymp. CXI. primus in annum XI. Periodi Olympicæ convenit, de qua libro primo. Neomenia primi mensis Olympici cadit in XVI. Julii, quæ eadem, utpote in anno I. Tetraëteridos, lunaris & popularis est. Itaque Plenilunium, & agon Olympicus contigit Julii XXX. Detractis perpetua regula annis XXXVIII. de Olympica Periodo, manet annus tertius Atticæ Periodi. Hecatombæon Augusti II. Proinde natus est Alexander Augusti VII. Periodi Julianæ 4358. cyclo Solis XVIII. Lunæ VII. octavo die à Iudicro Olympico. Hæc tam limata, & subtilis observatio, quia falso principio nititur Atticæ, & Olympicæ Periodi, futilis est. Nam absurdè cardinem anni Græci in VIII. Julii defixit; & ante hunc diem negavit primi mensis indictam fuisse Neomeniam; ita ut ne cardinem illum anteverteret, in Augusti VII. usque diem summota sit. Nos verò & Solstitium sub Metonis, & Calippi saltem ævum in XXVII. Junii constitutum esse: aut si in octava parte collocari placuit, saltem in Julii IV. constitutum putamus: & lunares Neomenias, à quibus popularis, (quem lunarem apud Græcos fuisse docuimus) annus inchoabatur, ante Solstitialem cardinem iniisse non dubitamus: quod in lib. I. definitum est.

Verumtamen Hecatombæonem anni 4358. Julio mense demus iniisse. Annus erat Judaicus 3405. Tisri character

* *Solinus*, cap. XII. Leuctram ponit in Peloponneso.

character I, 6, 1056. Septembris XXIII. feria I. littera Domin. A G, Cyclo Solis XVII. anno Periodi Julianæ 4357. Addito charactere decem mensium, Neomenia Ab incidit * feria 6, 23, 36. Julii VI. feria VII. littera F. cyclo XVIII. anno 4358. Plenilunium medium † Julii XXII. hora ferè XI. post mediam noctem diei XXI. Circa hoc tempus agon celebratus est. Atque hoc modo natus erit Alexander XI. Julii; siquidem lunaris Athenienssium Hecatombæon mediis Lunæ motibus congruebat. Quod autem Plutarchus & sexto die Hecatombæonis natum refert Alexandrum, & eodem tempore Olympicam victoriam renuntiatam fuisse; non satis quadrare ambo ista videntur. Nam Olympici agones circa Plenilunium celebrati sunt; hoc est μεσοῦντος Ἑκατομβαιῶνος. Vix est autem credibile tanto intervallo post natum Alexandrum nuncium ad patrem pervenisse. Sed hæc ἀκριβολογεῖν nihil attinet. Nam eodem tempore dixerit Plutarchus, pro eo quod est eodem mense, non die. Porrò solennia peccare Plutarchum arguit Scaliger, quod Λῶον Macedonicum vocet Hecatombæonem. Verùm solennia magis ipse peccat. Nam Λῶος Macedonum Hecatombæoni plerumque respondet: quod ex Galeno, & aliis auctoribus lib. I. cap. IV. de Macedon. mensibus evidenter ostendimus. Similiter in designando tempore obitus Alexandri vanissimo illo commento Atticæ Periodi frustra conflictatur. Mortuus est Alexander anno primo Olympiadis CXIV. auctore Diodoro Siculo, cùm regnasset annis XII. mensibus VII. Plutarchus Δαισίου τέτρῃ πλουτῶνος id adscribit, id est Dæsii XXVIII. Hunc diem in anno Periodi Olympicæ septuagesimo tertio Scaliger constituit, Aprilis XVIII. Si Dæsio mense, & Olympiade jam confecta natus est, omnino in semestri posteriori anni Iphitei natus fuerit. Nam Dæsius lunaris Macedonicus Siwan Hebraïco, & Thargelioni Attico confertur. Erit igitur annus Periodi Julianæ 4391. Cyclo Solis XXIII. Lunæ II. quæ est opinio Scaligeri. Ego verò anno ipso 4390. Dæsio mense, paullò ante celebratos agones Olympicos, hoc est uno, vel altero mense, mortuum opinor Alexandrum. Annus erat Judaicus 3437. cujus Tisri character 3, 21, 5. feria IV. Augusti XXXI. Cyclo Solis XXI. anno Periodi Julianæ 4389. Septimus abhinc mensis lunaris est Adar secundus, cujus character 6, 1, 443. feria VI. Februarii XXIV. anno 4390. Nisan feria 7, 14, 156. Martii XXV. Siwan verò character est 3, 15, 662. Maii XXIII. quæ & Neomenia fortasse Dæsii fuerit. Unde Junii XIX. triduo ante mensem Olympicum obiit Alexander: nisi forte Dæsii Neomenia potiùs Iiar quàm Siwan fuerit. Utrum enim embolimæus ille Macedonum annus esset; tum ubi sedes embolismi per illud tempus fuerit, haud satis exploratum. Itaque incerta in re sustinemus assensum. Illud plane constare videtur, anno 4390. Periodi Julianæ potiùs quàm sequenti Alexandrum obiisse. Etenim æra Philippi, quæ ab obitu illius incipit, iniit anno ipso 4390. ut posteà demonstrabitur. In quo pugnat secum Scaliger, qui anno 4391. mortuum facit Alexandrum, & tamen cap. de Thoth Philippi scribit neque Philippum, neque filium ejus Alexandrum epochæ annalis ejus initium, quam Philippo regi Macedones instituerunt, potuisse cernere, quoniam circa ejus initium Alexander excessit. Atqui si anno 4391. obiit, primum saltem annum illius videre potuit. Nam Philippea Periodus anno 4390. iniit, ut postea docebitur, & Scaliger ipse demonstrat.

Plutarchus male à Scaligero reprehenditur.

CAPUT XXXIV.

De ortu & obitu Alexandri M. retractantur & illustrantur aliqua quæ lib. X. cap. XXXIII. & XXXIX. dicta sunt.

IN epilogismo Judaïco, ac designatione mensis, quo natus est Alexander, quædam per imprudentiam vitiosè concepta sunt. Hoc igitur tenendum; anno illo, quo Olympias CVI. celebrata est, in cursu fuisse Judaïci computi annum 3405. Cyclo Solis XVIII. Lunæ VII. littera F. Hujus Tisri cœpit anno antecedente, Cyclo Solis XVII. Lunæ VI. littera A G, Septembris XXIII. feria I. cujus character est 1, 6, 1056. Addito charactere IX. mensium, Neomenia Siwan cadit in Junii XVI. cujus character 1, 1, 627. feria prima. Plenilunium Junii XXX. feria prima, vel Julii I. feria II. Nam character est 1, 19, 1023½. Itaque diffunditur dies ex methodo. Hic mensis videtur esse Hecatombæon, & Olympicus. Nam Plenilunium post Solstitium accidit. Hoc modo natus erit Alexander Junii XXI. si quidem natus ex sexto die Hecatombæonis, ut ait Plutarchus. Quod autem Plutarchus eodem tempore scribit tria illa Philippo nunciata, καὶ τὴν νίκην τρεῖς, non recte Latinus interpres vertit *eodem die*. Id enim fieri non potuit.

Sed de ætate Alexandri, & obitu non levis suboritur quæstio. Etenim Arrianus lib. VIII. scribit Archonte Hegesia mortuum illum esse, Olympiade CXIV. vixisse annos XXXII. menses VIII. ut auctor est Aristobulus: regnasse XII. annos, menses itidem VIII. Cùm immota constet epocha natalis ipsius in anno I. Olymp. CVI. Periodi Julianæ 4358. annus ætatis ejusdem tricesimus tertius exiens incidet in annum Periodi Julianæ 4391. regni verò primus, ut & mortis Philippi, erit 4378. Rursus Plutarchus ex diariis Alexandri refert, quid per morbum diebus singulis acciderit. ac primo tentatum ait febri Dæsii mensis XVIII. die; obiisse verò τέτρῃ φθίνοντος, id est XXVIII. Aristobulus autem Dæsii XXX. Dæsius mensis lunaris respondebat Thargelioni, vel Siwan, eratque vernus. Unde consequens est, Alexandrum excessisse anno 4391. si Hegesia Archonte obiit. Hic enim magistratum iniit à Solstitio anni 4390. Atqui natus ponitur Hecatombæone, sive Loo ineunte anni 4358. à quo si annos XXXII. cum VIII. mensibus numeres, desineret calculus in Dystrum, sive Anthesterionem, vel Adar anni ejusdem 4391. ab eo verò tertius est Dæsius. Præterea res est explorata, ineunte Olympiade CXIV. Alexandrum obiisse, anno Periodi Julianæ 4390. anno Nabonassari labente CCCCXXIV. cujus Thoth iniit Novembris XII. feria VII. anno Periodi Julianæ 4389. Cyclo Solis XXI. littera C B. Siquidem à Thoth Nabonassari, qui cœpit anno Periodi Julianæ 3967. Februarii XXVI. ad Thoth Philippi, qui Alexandro successit, anni sunt Ægyptiaci solidi CCCCXXIV. Si ad Julianos redacti conficiunt annos solidos CCCCXXIII. dies CCLIX. Quos si ad XXV. Februarii anni Periodi Julianæ 3967. addideris, desinet summa in XI. diem Novembris anni 4390. Similiter à Thoth Philippi ad Thoth Actiacum Ægyptiorum Ptolemæus eodem loco, id est lib. III. cap. VIII. computat annos Ægyptiacos CCXCIV. qui sunt Juliani CCXCIII. dies CCXCII. Hi detracti de annis Periodi Julianæ 4683. diebus 242. (Quippe Thoth Actiacum incidit in annum Periodi Julianæ 4684. diemque XXXI. Augusti, qui est 243. à Kalendis Januariis.) residui erunt anni 4389. dies 315. Proinde Thoth Philippi convenit in annum Periodi Julianæ 4390. diemque CCCXVI. à Kalendis Januariis. Ad hæc quandoquidem Censorinus anno illo, quo scribebat, qui fuit Christi CCXXXVIII. Periodi Julianæ 4951. dicit annum Philippi DLXII. iniisse, ejus porrò Thoth cœpit Junii XXV. si de annis Periodi Julianæ 4950. & diebus 175. completis detrahas Julianos 560. dies 225. qui respondent Ægyptiacis 561. solidis; residui erunt anni Periodi Julianæ 4389. dies 315. Quare anno 4390. Novembris XII. cœpit Thoth Philippi, qui est ab excessu Alexandri, ut loquitur Censorinus.

Itaque certissima est epocha mortis Alexandri. nec audiendi sunt Chronologi plerique, qui in annum exeuntem Olympiadis CXIV. conferunt, hoc est Periodi Julianæ 4391. ut Buntingus, Calvisius, Jacobus Cappellus. Ex quibus Buntingus existimat Thoth Philippi, sive ab obitu Alexandri M. nominari illum, qui proximè antecessit, non qui secutus est Alexandri mortem. Verùm uti Thoth Actiacus, qui incurrit in annum Urbis conditæ 724. Julianum XVI. ille est ipse, qui proximè Antonii & Cleopatræ mortem consecutus est, non qui antecessit; ita Thoth mortis Alexandri is est, qui post ejus obitum proximè successit.

* Emendari voluit *Petavius* feria 2, 14, 340. Julii XV. feria 2. littera F.

† Emendabat auctor in suo Codice: Julii XXX. hora ferè III. post mediam &c.

Quid igitur Diariis illis faciemus, quæ Dæsio mensi obitum illius assignant? Credideram verno tempore anni 4390. mortem illius incidisse. Quomodo & Pontacus in Notis Eusebii sensit. Nunc quid in mentem mihi venerit benignis Lectoribus impertiam. Magna sanè mihi suspicio est, Macedonicorum mensium situm alium Philippi, & Alexandri temporibus fuisse, quàm posteà sit institutus. Etenim Philippus in epistola, quam ad socios scribit, quámque Demosthenes Oratione περὶ στεφάνου recitat, & nos lib. I. cap. XXIX. produximus, Loum cum Boëdromione componit. qua ratione Dæsius Hecatombæoni respondebit, Hyperberetæus Pyanepsioni. Postea mutatus est situs, & Hyperberetæus in Boëdromionem, Lous in Hecatombæonem, Dæsius in Thargelionem transitum fecerunt. Quare id ita contigerit, quóve tempore, nescimus: ut nec mutationis in Atticorum mensium situ, quam certò scimus esse factam, causam tempúsque cognoscimus. Hoc si non absurdè ex illa Philippi epistola suspicamur; facile erit obitum Alexandri in Dæsii, hoc est Hecatombæonis, adeóque primi mensis Olympici, vel Elidensis exitum conjicere. Hoc modo Hegesia Prætore, & ineunte Olympiade CXIV. ut ait Eusebius lib. VIII. de Demonstr. Evang. mortuus erit, ὀν ἀρχῇ τȣ̃ μηὸ Ὀλυμπιάδȣς. Verùm illud insuper fuerit, quod de Alexandri ætate plerique omnes asserunt, vixisse ipsum annos solidos XXXII. ut Cicero Phil. V. Euseb. I. de vita Constant. & alii passim. Nam aliquot dies clauso jam, expletóque XXXII. superstes fuit, & libavit de tricesimo tertio.

Pag. 244.

CAPUT XXXV.

De Carthaginiensium Sicula clade.

DIODORUS Siculus, & Plutarchus in vita Timoleontis referunt Carthaginienses à Timoleonte profligatos in Sicilia. Annum notat Diodorus, primum Olympiadis CX. cùm Philippus XXI. ageret regni. Diem autem Plutarchus, indicat Θαργηλιῶνος ἱσταμένȣ ἑβδόμῳ, Thargelionis septimam. Addit Scaliger, quasi ex eodem auctore, Σκιροφοριῶνος πεντεκαίδεκάτῳ. & eam cladem incidisse vult anno XVII. Periodi quintæ Metonicæ, Atticæ XIX. Junii XXV. anno 4375. Periodi Julianæ. Hæc tota descriptio inane commentum est, solenni ex errore propagatum, super quo Atticæ Periodi methodum exstruxit. Plutarchus nullum Scirrophorionem πεντεκαίδεκα cogitavit umquam; nec ullus in mundo fuit: uti nec popularis, & æquabilis Thargelion. Lunarem ergo par est intelligi. Præterea videtur hic ipse Thargelion Olympicos agones antecessisse, non autem postrema in Iphitei anni parte collocandis. Nam Diodorus aliud annorum initium, quàm solstitium videtur habuisse. Ideo, quod & probabile judicavit Scaliger, Carthaginiensium cladem evenisse credo anno illo Periodi Julianæ, in quem Olympias CX. convenit, qui est 4374. cyclo Solis VI. Lunæ IV. Annus erat Judaicus 3421. cujus Tisri characterem habet 3, 8, 384. Septembris XXVI. feria 3. cyclo Solis V. littera BA. anno 4373. Periodi Julianæ. Addito characterem mensium octo, Siwan character erit 1, 14, 24. Maii XX. feria I. cyclo Solis VI. littera G. anno 4374. Hic esse potest Thargelion, cujus septima die, hoc est Maii XXVI. Carthaginienses ingenti acie victi sunt à Timoleonte. Erant enim peditum LXX. M. equitum, currutúmque X. M.

CAPUT XXXVI.

De clade Atheniensium, ac Bœotorum ad Cheroneam.

NE hanc quidem epocham Scaliger suo tempore consignat. Nam cum Diodorus anno III. Olymp CX. pugnatum esse scribat ad Chæroneam Bœotiæ, quando Athenienses cum Bœotis fusi sunt; hunc annum Periodi Julianæ 4377. statuit, eúmque sexti cycli Metonici primum nominat, Atticæ Periodi XXI. Cùm autem Plutarchus in Camillo diem notet Μεταγειτνιῶνος ἑβδόμῃ ἱσταμένȣ, tempus esse dicit Kalend. ipsis Septembris. Anno Periodi Julianæ 4377. iniit annus Iphiti 440. Olympiadis CX. quartus. Detractis de 440. quoad fieri potest 76. restat LIX. Olympicæ Periodi: de quo si 38. deducantur, annus conficet XXI. Atticæ Periodi; cujus Metagitnion popularis iniit XXVI. Augusti. Idem annus est XCVI. incipiens ab anno primo instituti à Metone cycli; qui cœpit anno Periodi Julianæ 4282. Proinde sextus cyclus inchoatus est anno 4377. Verùm cùm anno tertio Olympiadis CX. victoriam illam à Philippo reportatam esse Diodorus affirmet; si Metagitnione mense contigit, necesse est hunc annum esse Per. Jul. 4376. cyclo Lunæ VI. Annus agebatur Judaici computi 3423. cujus Tisri cœpit Septembris V. feria V. cyclo Solis VII. Littera F. anno Per. Jul. 4375. Character enim Tisri fuit 5, 1, 1056. Annus idem Judaici cycli tertius erit, & embolimæus. Ideo mensium XI. addito charactere, formatur character mensis Ab, 7, 22, 59. Julii XXVII. cyclo Solis VIII. littera E. anno Per. Jul. 4376. Hic erit Metagitnion. Nam Hecatombæon respondet Thamuz: cujus character 6, 9, 846. Junii XXVII. Quare Augusti II. parta ingens illa victoria. Nos enim Metagitnionem, ut & ceteros menses Atticos, non alium, quàm lunarem accepimus: quoniam quidem Tetraëtericorum, & popularium mensium illa commenta, unà cum Atticæ, & Olympicæ Periodi contextu, futilissimis innixa principiis jamdudum disputationibus nostris eversa sunt.

CAPUT XXXVII.

De eversis ab Alexandro Thebis Bœotiis.

SI ulla pars est Scaligerianæ doctrinæ gravibus latéque patentibus infecta vitiis, & erroribus; ea est profectò disputatio, quam de tempore Thebani excidii, déque pugna ad Arbela Macedonum instituit. Diodorus Siculus auctor est anno secundo Olympiadis CXI. Thebanos defecisse, statimque obsessas ab Alexandro Thebas, & eversas. Quod circa mysteriorum tempus evenisse Diodorus, & Plutarchus Camillo testantur; hoc est, Βοηδρομιῶνος, περὶ τὰ μυστήρια; quæ quidem ob luctum Athenis intermissa scribit Plutarchus Alexandro. Scaliger, τῇ εἰκάδι ȣ̃ Βοηδρομιῶνος, Mysteria perpetuò celebrata, & anno quarto Atticæ Tetraëteridos existimat. Quinquennalia enim fuisse sentit. Quamobrem cùm annus secundus Olympiadis CXI. sit Iphiti CCCCXLII. detractis omnibus LXXVI. restat annus Olympicæ Periodi LXII. de quo ablatis XXXVIII. residuus est annus Atticæ Periodi XXIV. Boëdromion XV. Septembris. Annus erat Judaicus 3427. Tisri character 4, 14, 746. feria IV. Septembris XX. cyclo Solis XI. littera A. Boëdromionis ergo Tetraëterici vicesima dies Octobris IV. qui est Tisri XV. Hinc Scaliger concludit Mysteria semper in annum quartum Atticæ Tetraëteridos incidisse, Olympicæ verò secundum. Verùm hæc ipsa Scaligeri disputatio multis & fœdissimis erratis adspergitur. Primùm enim falsò credit, Mysteria nonnisi quinto anno celebrata fuisse. Nam quotannis indicebantur: ut ad Themistium plenissimè demonstravimus, pag. 650. ex Herodoto, Isocrate, Aristide, & aliis: quam nostram verissimam sententiam animadvertimus à nonnullis posteà probatam, & usurpatam esse. Igitur commentum est istud de anno quarto Tetraëteridis Mysteriis dicato; & quod inde concluditur, pari absurditatis vitio laborat. Præterea nec illud probandum est, quod ibidem asseritur; Mysteria Boëdromionis dumtaxat XX. die celebrari solita. Non enim unus tantummodò dies Mysteriorum fuit; sed ad plures celebritas pertinebat, quorum ultimus erat ἡ εἰκάς, quo pompa traducebatur. quod vocabant Γακχον ἐξάγειν. Ad hæc Atticæ Periodi, & Olympicæ structura tota est confecta: cujus observationi delineatio illa temporis innititur. Unde Boëdromionis lunaris XX. die, non popularis, qui numquam in rerum natura fuit, ultimus ille dies Mysteriorum incurrit. Denique ex hoc exemplo methodi Scaligerianæ vanitas, & imperitia satis apparet, quam priore libro copiosiùs edisseruimus. Quippe Boëdromionis Tetraëterici die VI. novilunium medium ac Judaicum incidit; quo eodem die, quarto anno Tetraëteridis Atticæ, Iphiti sæculo repræsentatur in Tabula Tetraëteridos ejusdem, quam libro I. descripsit

scripsit Scaliger. Ita post annos ampliùs CCCCXL. novilunia iisdem diebus conveniebant, sine ulla anticipatione lunari, quæ nos suo loco satis exagitavimus.

CAPUT XXXVIII.

De conflictu Alexandri M. ad Arbela cum Dario, & initio Asiatici imperii: déque Lunæ defectione, quæ sub illum contigit. Plutarchus ab Scaligeri reprehensione defenditur: & Scaliger ipse gravissimi erroris arguitur. Alexandriæ conditæ annus illustratur.

PLUTARCHUS in Alexandro postremum Alexandri cum Dario conflictum ad Gaugamela, non ad Arbela gestum observat, & quidem cœlesti characterenotatum lunaris deliquit. ἡ μὲν ȣ̃ σελήνη ȣ̃ Βοηδρομιῶνος ἐξέλιπε, περὶ τὴν τȣ̃ Μυστηρίων τὴν Ἀθήνησιν ἀρχήν· ἐνδεκάτη ȣ̃ ὄντος τȣ̃ ὁυκλείψεως; νυκτὸς τȣ̃ στρατοπέδων ἐν ὄψει γεγενότων, &c. *Ac Luna quidem Boëdromione mense defecit sub id tempus, quo Mysteria Athenis ineunt. Undecima post deliquium nocte, castris utrimque in conspectu positis.* De hac Lunæ defectione insignis est Plinii locus lib. II. capite LXX. *Nobili*, inquit, *apud Arbela Magni Alexandri victoria Luna defecisse noctis secunda hora prodita est: eadémque in Sicilia exoriens.* Mensis Boëdromion in Septembrem majori ex parte congruit: uti libro I. planum fecimus. Quare circa hunc mensem Lunæ investiganda defectio, quæ Arbelis hora noctis secunda contigerit: in Sicilia verò sub occasum ipsum. Hic est annus Olympiadis CXII. secundus, quo Archon Athenis fuisse perhibetur Aristophanes, auctore Diodoro Siculo. Periodi Julianæ 4383. cyclo Solis XV. Lunæ XIII. Hoc igitur anno Tabulæ nostræ Parisinæ Lunam defecisse fidem faciunt Septembris XX. feria II. sequente III. Vera luminarium oppositio Lutetiæ accidit * hora 17, 47′. à media nocte. Initium eclipsis hora 16, 9′. Finis hora 19, 25′. Non igitur tota in Galliis est conspecta. At Arbelis, quorum longitudo est 80. graduum, & Parisiensem meridianum horis 3, 44′. superat; initium defectionis † incidit hora 19, 53′. circiter: hoc est hora secunda noctis. Sol enim in gradu Virginis 22, 39′. verè situs erat. Ideo hora 6, 11′. post meridiem occidit. Medium eclipsis, § hora 21, 31′. Finis hora 23, 19′. Duravit horas 3, 38′. ac digitorum fuit 14, 35′. ferè. Tota ergo defecit. In Sicilia verò; ut putà Drepani, cujus est longitudo graduum 37. cœpit hora 18, 39′. sub occasum Solis. At Syracusis hora 18, 50′. Buntinghus ex Prutenicis Tabulis initium defectionis istius Arbelis statuit hora 8, 45′. medium hora 10, 32′. finem hora 6, 20′. post mediam noctem. Qua ratione non secunda noctis hora, sed tertia cœperit. Annus hic erat Nabonassari CCCCXVII. Epiphi XII. cujus Thoth iniit anno Periodi Julianæ 4382. Novembris XIV. feria VII. Annus erat Judaici computi 3431. Tisri character, 2, 14, 713. feria II. Septembris VI. Proinde plenilunium incidit in diem Tisri XVI.

Scaliger his temporum notis minimè contentus, addit alias ex falsa Periodi Atticæ descriptione; quibus fretus Plutarchum insignis oscitantiæ redarguit: quòd & Boëdromionis XX. die defecisse Lunam asserit; cùm Metagitnionis XX. id acciderit; & pugnam Boëdromionis πέμπτῃ φθίνοντος, id est XXVI. cùm secundo die Boëdromionis commissa sit; si quidem undecima post defectionem die pugnatum fuerit. Etenim annus ille fuit Iphiti 446. iniens. Detractis ex methodo, quoad licet, 76. remanet annus Olympicæ Periodi, 66. Ablatis annis inde 38. superest Atticæ Periodi annus 28. cujus Hecatombæon cœpit Augusti II. Boëdromion Kalend. Octobris. Unde lunaris defectio facta est Metagitnionis XX. Ita Scaliger.

Lib. V. pag. 396.

Verùm Plutarchus nihil aliud refert, nisi defecisse Lunam Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν τȣ̃ Μυστηρίων ἀρχήν. *circa mysteriorum initium.* quod falsò in XX. Boëdromionis conjicit Scaliger. Nam mysteriorum celebritas per aliquot extendebatur dies, quorum numerus nobis haud satis compertus est. Quinque tamen fuisse videntur, quot & Thesmophoriorum, ut ex Aristophane Θεσμοφορ. colligimus. Apud Hesychium ita corrigendum. Τρίτη Θεσμοφορίων ζητεῖται πῶς. ἅμα μὲν λέγει τρίτην Θεσμοφορίων εἶναι, ἅμα δ' μέσην τετάρων ȣ̃σαν ἡμερῶν. pro eo quod vulgò legitur ȣ̃σῶν. Hæc autem Aristophanis verba declarat:

Mysteria diebus pluribus peracta.

Ἐπεὶ τρίτη' εἰν Θεσμοφορίων ἡ μέση.

Quinque ergo Thesmophoria diebus peracta sunt. Totidem & Mysteria. Horum primus vocatur ab Hesychio Ἀγυρμός, postremus εἰκάς, sive Γακχος; quòd eo die, qui vicesimus erat Boëdromionis, pompam ducerent, quod Γακχον ἐξάγειν vocabant. Hæc nos pluribus ad Themistium. Qui Mysteriorum ultimus erat dies, hunc unicum credidit esse Scaliger, & in plenilunium semper incidere. Boëdromionem enim istum non lunarem, sed popularem esse voluit. Atqui disposita Tetraëteride Atticâ, quomodo eam Scaliger instituit, anno ejus quarto, Boëdromionis popularis die sexto, novilunium incipit, & plenilunium in vicesimum diem incurrit. Proinde Mysteria nonnisi quarto anno Tetraëteridis Atticæ, Olympicæ verò secundo, celebrari solita putavit idem: quæ opinio certissimis rationibus confutata est in Notis ad Themistium. Ea verò sublata, unà commentum illud eliditur Atticæ Tetraëteridos, & anni popularis. Nam si Mysteria uno die celebrata sunt; qui dies erat vicesimus Boëdromionis: & numquam nisi plenilunio celebrata; necesse est in XX. diem mensis illius plenilunium quotannis incidisse: quod & absurdum est, & Scaligerianam doctrinam σεσῆρίζον evertit. Verum est igitur & Mysteria à XVI. die mensis ad XX. continuata fuisse, & lunares omnes Atheniensium menses exstitisse; quod lib. I. satis explicatum est. Anno quo Persas Alexander prælio superavit, Hecatombæon Atticus iniit Julii IX. feria VI. Erat enim Ab Judaicus anni 3430. cujus character 6, 13, 217. cyclo Solis XV. littera C. Boëdromion ergo Septembris VI. cœpit feria II. cujus de nente XV. die, & ineunte XVI. ab exordio noctis, Attico, & Judaico more, Luna defecit; quo tempore primus Mysteriorum dies iniit, quæ nocturno tempore peragebantur. Undecimo post die, hoc est πέμπτῃ φθίνοντος Βοηδρομιῶνος, sive die XXVI. quæ Kalendæ erant Octobres, vicit Alexander. Ita cum Plutarchi narratione bellè omnia consonant; neque Scaligeri castigatione opus est, qui Metagitnionis εἰκάδι defecisse Lunam, & ineunte Boëdromione debellatum esse cum Persis censuit. Sed nos accuratiùs ista disputavimus in Notis ad Themistium.

Alexandria quo tempore condita.

Eadem illa Lunæ defectio non solùm ad Arbelicæ pugnæ tempus, & Macedonicæ Monarchiæ adstruenda primordia: sed etiam Alexandriæ conditum insigni charactere muniendum pertinet. Eodem enim anno Julíano labente Alexandriam in Ægypto condidit Alexander. ut ex Diodoro, Plutarcho, Curtio, & Arriano liquet. Quocirca Livii Dec. I. lib. VIII. Solini cap. XXXVIII. Cassiodori, & aliorum castigandus est error, qui Alexandriam conditam ferunt anno illo, qui Coss. habuit C. Pœtelium, L. Papirium Mugilanum. Hic enim est Urbis annus Varronianus CCCCXXVIII. qui incidit in annum Per. Jul. 4388. Quinque igitur annis aberrant. Solinus addit Olympiade CXII. Sed anno 4388. cœpit annus tertius Olympiadis CXIII. At anno 4383. quo revera condita est Alexandria, cœpit annus secundus Olympiadis CXII. Ideóque anno primo labente Olympiadis istius conditus attribuitur: Urbis anno CCCCXXIII. Eutropius lib. II. longè graviùs labitur, dum eo anno Romæ conditæ Alexandriam exstructam significat; qui sit CCCCXVI. Varronianus. quo scilicet ambo Coss. de Latinis triumpharunt, iisque statuæ in Rostris positæ sunt. Quod Coss. L. Furio Camillo, C. Mænio convenit. Eusebius in Chronico: *Alexandria in Ægypto condita* VII. *anno regis Alexandri. quo tempore etiam Latini à Romanis perdomiti sunt.* Hic annus ab Abraamo numeratur MDCLXXXVII. & tertius Olympiadis

* Emendabat in suo Codice *Petavius* horâ 18, 31′. à media nocte. Initium Eclipsis horâ 16, 42′. Finis horâ 20, 25′.

† Emendari voluit *Petavius*: horâ 20, 20′.

§ Eodem auctore lege hîc: horâ 22, 9′. finis horâ 23, 50′.

Olympiadis CXII. Additis ex methodo perpetua 2696. ad annos Abraami, existet annus Julianæ Periodi 4383. cujus ab autumno cœperit annus Abraami 1687. & Olympiadis CXII. tertius. Itaque anno uno tardiùs
Cap. 89. epocham Alexandriæ conditæ statuit Eusebius. Ex iis minimè dubius est error *Novæ veræque Chronologiæ*,
Cap. 90. quæ anno Capitolinorum Fastorum CCCCXXVII. octavum annum Alexandri, adeóque Urbis Alexandrinæ conditum affingit: quem tamen subinde revera dicit annum esse Urbis Romæ CCCCXV. quo Eutropius Alexandriam conditam refert. Neutrum sanè verum esse potest: si quidem annus ille lunari defectione notatur; quæ secunda noctis hora ad Arbela, Autumno contigit. Nam neque anno Capitolino CCCCXXVII. qui est Jul. Per. 4388. neque anno CCCCXV. qui est 4376. lunaris ulla defectio Autumno, id est Boëdromione accidit.

CAPUT XXXIX.

De initio Calippicæ Periodi. Declarantur lunares defectiones tres à Ptolemæo designatæ; ac Ptolemæus ipse castigatur.

DE Calippica Periodo copiosè lib. I. ac II. disseruimus. Quibus in locis multiplicia super hac Periodo Scaligeri commenta patefecimus. ac demum hujus initium ostendimus in annum incurrere Jul. Per. 4384. atque ab æstivo Solstitio procedere. Neque verò plures unâ fuisse, & quidem lunari. quod lib. II. cap. præsertim XVIII. planum fecimus. Quòd ab æstivo cardine, non autumnali, Calippici anni progressi sint, declarat Ptolem. lib. III. ubi Solstitium dicit observatum ab Aristarcho anno quinquagesimo exeunte pri-
Pag. 63. Gr. edit. pag. 364. mæ Periodi Calippicæ. Unde colligimus circa Solstitium cœpisse Neomeniam primam anni Calippici, sive Hecatombæonem. Annus observationis Aristarchi est Julianæ Periodi 4434. uti lib. IV. cap. XXVI. notavimus quo anno iniit Calippicæ Periodi primæ II. annus. Hujus Hecatombæon ex Tabula Periodi, quam lib. II. cap. XX. repræsentavimus; cœpit Julii XV. feria VI. Scirrhophorion antecedens Junii XV. feria IV. Labente itaque Scirrhophorione, ejúsque duodecimo circiter die, Aristarchus Solstitium deprehendit. Ideo τῷ ἐτελήγοντι dixit Ptolemæus; *desinente anno quinquagesimo*, notatum Solstitium, anno CLII. post observatum ab Euctemone, & Metone Solstitium: quod factum est Archonte Athenis Apseude, anno Per. Jul. 4282. Ideo Aristarchæ περήσεως an-
Lib. II. cap. XX. nus est 4434. Hoc verò cœpit Calippicæ Periodi primæ annus II. desinitque L. In Tabula Periodi Calippicæ à nobis castigata annus quinquagesimus Neomeniam Hecatombæonis habuit Junii XXVI. feria VII. cujus character 7, 7, 47′. Additis ex Tabella III. mensibus XII. (Est enim embolimæus annus:) Scirrhophorion incidit in Junii XV. feria IV. Hecatombæon sequens, à quo annus II. incipit, Julii XV. feria VI. cujus character, 6, 5, 25′. Meritò igitur Aristarchus anno quinquagesimo desinente Solstitium deprehendisse scribitur.

Ptolem. Lib. IV. cap. ult. pag. 106. Græcæ edit. Hinc apparet rectè à nobis emendatum esse Ptolemæi codicem: ubi Calippicæ Periodi annis aliquot lunares tres defectiones assignantur. Prima contigisse dicitur anno ϋβ′, id est III. Periodi secundæ (sed legendum anno LIV. uti Trapezuntius vertit) anno Nabonassari 547. Mesori XVI. quo semihora circiter ante ortum deficere cœpit. Medium verò tempus eclipsis, hora septima post meridiem. Finis, hora octava cum dimidia, uti tres horas omnino duraverit. Sol in Virginis erat gradu 26, 36′. Secunda Lunæ defectio anno Periodi Calippicæ secundæ IV. notatur; Nabonassari verò 548. Mechir IX. Cœpit hora XI, 20′. à meridie diei IX. Medium hora XIII, 20′. sive I, 20′. post mediam noctem diei Mechir X. Desiit igitur hora 4, 20′. post mediam noctem, & horas quatuor obtinuit. Nam tota defecit. Sol in gradu Piscium 26, 17′. Tertia anno consignatur eodem Calippicæ Periodi, & Nabonassari, Mesori V. Media defectio contigit hora 14, 15′. à meridie Sole in gradu Virginis 15, 12′. versante.

Harum trium Lunæ defectionum ratiocinia ita ex Parisinis tabulis colliguntur. Prima convenit in annum Per. Jul. 4513. Septembris XXII. feria VI. Plenilunium verum Alexandriæ hora 7, 15′. à meridie. Initium defectionis, hora 5, 32′. Finis hora 8, 58′. Digitorum fuit paullò amplius 10. atque horas tenuit 3, 26′. Sol in gradu 26, 9′, 39″. Virginis. quæ à Ptolemaicis, & Prutenicis epilogismis non multùm abhorrent: in situ verò Solis minutis dumtaxat 3′, 39″. diffident.

Altera defectio à nobis investigata convenit in annum Per. Jul. 4514. Oppositio vera Martii XX. hora 0, 44′. post mediam noctem. Cœpit deficere hora 22, 50′. post mediam noctem Martii XIX. Desiit hora 2, 38′. à media nocte XX. diei mensis ejusdem. Fuit digitorum ferè 17. adeóque tota defecit, & horas obtinuit 3, 48′. Sol in gradu Piscium 25, 39′. Tertiam invenimus eodem anno Per. Jul. 4514. Plenilunium verum, ac media defectio Septembris XII. hora 2, 45′. post mediam noctem. Initium hora 0. 53′. Finis hora 4, 38′. Tota porrò defecit, ac digitorum fuit 18. Spatium horarum 3, 46′. Sol in gradu Virginis 15, 16′, 33″. Et hîc solaris epilogismus perparum à Ptolemaico, & Prutenico calculo distat. Trium igitur istarum eclipseon prima pertinet ad annum Per. Jul. 4513. & secundæ Periodi Calippi quartum & quinquagesimum: hoc est ab initio Calippi numeratur annus CXXX. Si ergo de 4513. detrahantur 130. residuus erit annus 4383. Proinde sequenti anno Calippica Periodus iniit. Si annus CXXX. Calippicus à Solstitio anni 4513. incœpit, consequente Martio idem perseveravit annus. adeóque Ptolemæus scripsit, τῷ αὐτῷ νδ′ ἔτει τὸ αὐτὸς σελίδος. Tertia denique cùm post Solstitium anni 4514. Boëdromione mense contigerit, pertinet ad annum CXXXI. ab initio Calippi, sive LV. annum Periodi secundæ. ut non dubitem scripsisse Ptolemæum aut Hipparchum τῷ νε′ ἔτει τὸ δωδεκάτης σελίδος. non, ut vulgò, τῷ αὐτῷ νε′ ἔτει.

Nolo hîc ea repetere, quæ de hac Periodo lib. I. & II. diligentius, uberiúsque tractata sunt. Unum postremò de illius epocha subjiciam, summatimque concludam. Cœpta est igitur Calippica Periodus anno Per. Jul. 4384. ab æstivo Solstitio. quod sæculo illo circa XXVII. Junii congruebat; cyclo Lunæ XIV. Solis XVI. littera B. Annus erat Judaïcus 3431. cujus Tisri cœpit anno Per. Jul. 4383. cyclo Solis XV. littera C. feria II. Sept. VI. Hujus enim character est 2, 14, 723. anno embolimæo. Itaque Neomenia Thamuz cœpit feria 3, 22, 13. Junii XXIX. anno Per. Jul. 4384. Hic fuit Hecatombæon Calippicus primus. At Scaliger lib. II. in Tabula Periodi Calippicæ lunaris, Neome-
pag. 63. niam Hecatombæonis statuit in Junii XXVIII. littera B. errore manifesto. Nam character feriam IV. postulat Junii XXIX. Tametsi potuit Calippus Neomeniam in XXVIII. defigere; quoniam medium Novilunium in ipsum diem Junii XXVIII. cadebat, horis in meridiano Hierosolymitano post meridiem IV. Sed cùm Scaliger lunares omnes rationes aliàs ex Judaïca methodo describat, non debuit hoc loco ab iis discedere.

CAPUT XL.

De epocha annorum Philippi, & mortis Alexandri. ac primùm Scaligeri, aliorúmque falsa de illius nomine & institutione opinio rejicitur.

CELEBRANTUR apud Astronomos Græcos pariter, & Arabas epochæ duæ; quarum prior à morte Alexandri ducitur, eadémque titulo annorum Philippi notatur; altera Seleucidarum inscribitur; Arabes Terik dil-karnaim nominant. De priore hîc agendum. Scaliger & hîc, & lib. I. cap. de Periodo Macedonica Scaliger. Lib. I. pag. 43.
æstiva, Macedones putat hactenus Olympica Periodo, ac Tetraëteride sine ulla differentia usos esse: postea Philippum Alexandri patrem menses Metonicos in Macedonicam Periodum recepisse: ac tum peritos Macedonum novam in ejus gratiam condidisse Periodum, quam à diebus verni sideris auspicati sunt. Hujus Periodi principium dilatum ab illis censet in annum Per. Jul. 4390. quo Alexander obiit; ita ut Philippus finem tantùm illius viderit. Philippeam porrò Periodum appellatam existimat à Philippo Amyntæ F. Alexandri patre, non à Philippo Aridæo Alexandri fratre, atque successore. quod qui sentiunt, ne tanti quidem eos esse dicit, ut confutentur.

Hæc Scaligeriana sententia libro I. ubi de Macedonicis Periodis egimus, satis supérque castigata, plenissimé-

méque confutata est: cùm & illud ostendimus, nullam aliam illius Periodi commiscendæ causam habuisse Scaligerum, quàm Josephi locum quemdam perperam acceptum. Itaque negandum est, ullam à Macedonibus umquam Periodum esse conditam, quæ Philippea diceretur. Est enim Scaligeriana ista persuasio sæpiùs explosa, quæ Macedonas, adeóque Græcos omnes affirmat Calippicam Periodum in usum popularem admisisse. quod ridiculum commentum nullo antiquitatis testimonio fulcitur. Sola igitur æra, vel titulus temporum, & epocha à morte Alexandri processit, citra Periodum novam: quemadmodum Christiani à Christi ortu, vel passione, sine Periodo, tempora computarunt Arabes ab Hegira, sive fuga Muhammedis. alii denique populi aliunde temporum suorum initia computant. Uti verò ridiculum sit totidem ab illis constitutas putare Periodos, quot epochas instituerunt; ita falsum est, Græcis aut Syris, ceterísve nationibus Periodos adscribere, quoties novum aliquem titulum civilibus temporibus præfigunt.

Falsa Scaligeri sententia de Philippianis. Redeo ad annos Philippeos, qui ab obitu Alexandri putantur: quam epocham unà cum Periodo constitutam in honorem Philippi Amyntæ F. patris Alexandri M. libro I. ac secundo hujus Operis ariolatur. Verùm eversò jam conjecturæ illius argumento unico, quod ex Periodi institutione petitur, per sese reliqua corruunt. Quis enim ullam Periodum Philippeam appellatam esse legit? quis in gratiam Philippi Alexandri M. patris conditam fuisse? Hic enim ante annos duodecim mortuus jam erat. Quare nihil cunctandum est, quin ei, quam irridet, & contemnit, sententiæ potiùs assentiamur; à Philippo Aridæo epocham illam atque æram nomen obtinere. Diodorus, Plutarchus, Justinus, Curtius; Historici denique Alexandri rerum omnes, post illius obitum referunt consensu Macedonum Aridæum ad regnum esse provectum, & Philippi nomine consalutatum. Ab eo, non ab altero æra illa, quæ ab Alexandri morte putatur, Philippi titulum noménque sortitur. Docet hoc inter alios Georgius Monachus, cujus MS. codicem penes nos habemus: qui τὸ πρῶτον ἔτος Φιλίππου ὃ Ἀρριδαίου ὃ μετ' Ἀλέξανδρον ὁ Μακεδόνα βασιλεύσαντος Μακεδόνων commemorat.

A Philippo Aridæo nomen accepit.

Itaque Serario nostro eruditissimo viro, ut & aliis, imposuit Scaliger; cùm in Commentariis ad LL. Mac-
Serarius à Scaligero deceptus. cabæorum observabat, *annos Græcorum usque ad Seleuci regnum nominatos esse Philippicos, non ab illius fratre, sed patre, à quo ante Alexandri mortem numerari solebant.* Utrumque Scaliger illi persuaserat: sed fruftrà. Nam neque à Philippo patre Alexandri M. sed ab ejus fratre, & successore nominati sunt: neque ante obitum Alexandri annis ullis ejusmodi vocabulum est inditum. Quod addit Serrarius, ita Alphraganum, Albategnium, Theonem, Cabasilam Comment. VI. in Ptolemæum, & Censorinum testari: de Arabibus facilè concedam: ceterorum nemo, quod sciam, asseveravit umquam à Philippo patre Philippeos esse dictos; aut ante obitum Alexandri ita vocatos fuisse. Sed omnes isti uno ore Philippeos annos, sive ab Alexandri obitu, ab ipsomet anno deducunt, quo Alexander excessit. Censorinus cap. XXI. de variis annorum epochis agens. *Item*, inquit, *Philippi, qui ab excessu Alexandri magni numerantur; & ad hunc usque perducti annos quingentos sexaginta duos consummant.* Theon quoque ab æra Nabonassari ad æram Philippi, sive mortem Alexandri annos Ægyptiacos computat CCCCXXIV. quod & Ptolemæus lib. III. docuit, & Alphraganus, Albategnius; tum Canon ille Mathematicus ex Ptolemæo descriptus, cujus suprà lib. IX. capite III. de æra Nabonassari meminimus. Quamobrem duo ista doctorum ex hominum scriptis ac sententiis evellenda sunt, quæ auctore Scaligero hactenus amplexi fuerant. Alterum, annos Philippi à Philippo Alexandri patre nominatos esse; alterum, ante mortem Alexandri eâdem insignitos appellatione fuisse. Quod utrumque, alios ut omittam, Christmannus secutus est. Sanè prius illud de appellatione Philippeorum annorum ab Aridæo Scaliger ipse in Isag. Can. lib. III. pag. 293. non veritus est adscíscere. Etsi dubitando pronunciat, sive ab Aridæo; sive à Philippo Alexandri patre cognomen impositum. In quo nil præter solitum levis in eam sententiam inclinat, quam hoc in V. libro de Emend. indignam judicarat, quam confutaret. Quod ad Arabes spectat; Alphraganus cap. I. annos Philippi ab Alexandri patre nominatos credidit. Quod ita Christmannus explicat. Cùm Græcæ historiæ imperiti admodum sint Arabes, annos Seleucidarum, quos Alexandreos vocant, quíque XII. annis post Alexandri obitum computari cœperunt, ab imperii illius exordio deductos esse suspicati sunt. Unde annos Philippi, qui duodecim annis Seleucidarum æram antecedunt, ab initio regni Philippi patris Alexandri numerarunt. Ita Christmannus. Quod ut de Alphragano arbitrari possumus; sic de Albategnio dubitamus. apud quem haud scio an legatur, annos istos Philippeos vocari. Sæpiùs enim horum cùm meminit, annos ab Alexandri morte nominavit. Absurdum est autem quos ab obitu Alexandri putaret annos, eosdem ab ejus exordio numerasse.

CAPUT XLI.

Constituitur verum tempus epochæ annorum Philippi, sive mortis Alexandri. ubi & de annis istis accuratè disseritur.

CENSORINUS loco illo paullò anteà memorato, de initio annorum Philippi scribere ita pergit: *Sed horum initia semper à primo die mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est Thoth.* Anno igitur eo, quo mortuus est Alexander; ab illo die, in quem Neomenia Thoth incurrebat, anni ab illius obitu, vel ab Aridæi primordio procedere cœperunt, Verùm cùm Neomenia Thoth postea fixa fuerit, & Ægyptiacus annus vagus, ac solutus anni Juliani frænis cohibitus sit; quæri potest, utrum à Neomenia vaga, an ab Julianâ, atque fixa Philippei anni putarentur. Vetustissimi quique sine dubio epocham annorum istorum in Thoth Ægyptiaco, & vago constituebant. Ptolemæus enim, ut antè scripsimus, & Mathematici omnes à primo Thoth Nabonassari ad Thoth Philippi annos numerant præcisè CCCCXXIV. qui sunt Ægyptii ac soluti. Unde methodus est ista Philippeorum annorum, ut inventis Nabonassareis, de summâ deducantur anni CCCCXXIV. Exemplum. Censorinus loco citato scribit annum illum, quo præstantissimum libellum exarabat, fuisse Nabonassari nongentesimum octogesimum sextum: Philippi verò, sive ab obitu Alexandri Magni, quingentesimum sexagesimum secundum. Detractis de DCCCCLXXXVI. annis CCCCXXIV. restant anni DLXII. Item Alphraganus cap. I. intervallum inter Nabukadnezarem (quo nomine Nabonassarum Arabes omnes intelligunt) & Jezdegirdem, annorum Persicorum definit 1379. mensium 3. intervallum autem inter Philippum, & Jezdegirdem, annorum Persarum 955. mensium 3. Quòd si de annis 1379. mensibus 3. deducas annos 955. menses 3. intervallum à Nabonassaro ad æram Philippi supererit, annorum Persicorum, & æquabilium, 424. Quamobrem à Neomenia Thoth, quæ Alexandri obitum est consecuta, primus annus Philippeus incipit. Mortuus est Alexander anno Periodi Julianæ 4390. Eodem anno Thoth quadringentesimus vicesimus quintus à Nabonassaro cœpit Novembris XII. feria I. cyclo Solis XXII. littera A. Propterea character annorum Philippi ab Alfragano, ex auctoritate Ptolemæi, statuitur feria I. Anno ergo Periodi Julianæ 4390. primus Thoth ab obitu Alexandri, vel annorum Philippi duxit exordium. quod quidem ex omnibus cœlestium φαινομένων exemplis apparet, quæ cum istius epochæ mentione Ptolemæus descripsit.

Albategnius annis Alexandreis fixis utitur. Apud Albategnium tamen anni ab obitu Alexandri sæpiùs Juliani esse videntur; ac fixi; rarò Ægyptiaci, ac soluti: quemadmodum & anni Dilkarnaim: quod etiam eruditis viris imposuisse scimus. Anno Christi DCCCLXXXII. Albategnius æquinoctium autumnale deprehendit Elul XIX. hoc est Septembris Juliani, anno post mortem Alexandri MCCVI. ut ipse testatur cap. XXVII. libri de scientia Stellarum: anno Dilkarnaim MCXCIV. octava die Pachon. Addantur ex methodo anni CCCCXXIV. ad annos Philippi, confiet Nabonassari MDCXXX. cujus Thoth iniit anno Periodi Julianæ 5595. æræ Dionysianæ DCCCLXXXII. Januarii XV. feria II. cyclo Solis XXIII. littera G. Ostendimus autem

lib. IV. Buntinghum & Scaligerum errasse, qui observationem istam in annum sequentem, Christi DCCCLXXXIII conferunt. Quo ex errore falso lib. V. cap. de primo Thoth Philippi Scaliger asserit; Albategnium annos ab obitu Alexandri putare in æquinoctiali hac μονοῖ à Kal. Octobris, non à Thoth Nabonassari. Sed cùm anno Christi DCCCLXXXIII. æquinoctium illud notaverit, quem in annum Thoth Nabonassari MDCXXX. incidit, idemque ab obitu Alexandri MCCVI. evidens est vago illius anni principio Albategnium usum fuisse. At cap. XXX. idem Albategnius defectum Solis observavit anno ab obitu Alexandri MCCXIV. Dilkarnaim MCCII. Aractæ; cùm ambo sidera in Leone essent. Contigit hæc eclipsis ex accuratissimo Parisinarum tabularum calculo anno Christi DCCCXCI. cyclo Lunæ XVIII. Solis IV. littera C. Augusti mensis VIII. hora 12, 42′. post mediam noctem in Horizonte Aractæ. Initium hora 11, 17′. finis hora 14, 17′. Duratio horarum ferè 3. apparenti tempore. Fuit digitorum 8, 48′. circiter. Sol verò motu in Leonis gradu 19, 14′. planè ad Albategnii descriptionem. Hic si ad annos Philippi MCCXIV. adjiciantur anni CCCCXXIV. fient anni MDCXXXVIII. Nabonassari. Atqui Thoth anni Nabonassarei MDCXXVIII. iniit anno Christi DCCCXC. Januarii XIII. feria III. cyclo Solis III. littera D. Eclipsis verò contigit anno Nabonassari MDCXXXIX. Philippi autem, si vagos annos cogites, anno MCCXV. qui eodem die Januarii cœpit, feria IV. cyclo Solis IV. littera C. Pharmuthi XXII. Propterea non potest annus ille post Alexandri mortem vagus, & Ægyptius esse, sed fixus, & Julianus; cujus initium ab Octobris Kalendis deducitur. Anno Periodi Julianæ 4390. obiit Alexander. Ab eo Thoth, qui mortem ejus consecutus est, videlicet à Novembris XII. æra Philippi anno soluto complexa progreditur. ab Octobris verò Kal. annus primus ejusdem æræ Julianus, ac defixus iniit, feria itidem prima, à qua & vagus annus. Quare si ad 4389. absolutos addas Julianos 1214. confiet annus Periodi Julianæ 5603. de quibus detracti 4713. relinquunt annos Christi 890. Ergo anno Christi 890. à Kalendis Octobris cœpit annus fixus post mortem Alexandri, sive Philippi 1214. cujus Ab octavo Sol defecit. Verum est igitur, quod diximus annos post Alexandri mortem aliàs fixos ab Albategnio sumi, aliàs solutos, & Ægyptiacos.

Pag. 399.

Eclipsis Solis Albategniana.

Alia Solis eclipsis mendosè ab Albategnio concepta.

Aliam Solis eclipsin observabat idem auctor, eodem capite, anno Dilkarnaim MCCV. ab Alexandri morte MDLIV. ante mediam diem XXIII. diei mensis Hun secundi, tribus horis, & duabus ferè tertiis unius horæ æqualis; in Aquario, cum Sol gradum ejus obtineret 8, 35′. Annus MCCV. Dilkarnaim, ut ex sequenti capite constabit, debet esse vagus, atque ab Neomenia Thoth incipere: quæ anno Christi DCCCXCIII iniit Januarii XII. feria VI. Ac revera anno eodem Solis defectio contigit. Januarii XXI. Sole gradum Aquarii 7. occupante. Sed neque Aractæ, neque in toto hemisphærio nostro conspecta est. Nam novilunium verum ex nostris tabulis incidit in horam 10. ferè post meridiem diei XXI. Latitudo vera 0, 12′, 20″. Sed & falsa est nota anni ab Alexandri obitu MDLIV. Debebat enim putari annus ad summum MCCXVII. Quare missum hoc exemplum faciamus.

Lunares eclipses Albategnii.

Item eodem capite Lunam defecisse notat Albategnius anno Dilkarnaim MCXCIV. ab Alexandri morte MCCVI. Tamuz XXIII. qui est Julius, horis VIII. & paullò ampliùs, à meridie, in horizonte Urbis Aractæ; Sole in quarto gradu Leonis constituto. Accidit hoc cyclo Lunæ X. Solis XXIV. anno Christi DCCCLXXXIII. Annus erat Judaïcus 4643. cujus Tisri character 1, 17, 1026. feria prima, cyclo Solis XXIII. littera G. anno Christi 882. Septembris XVI. Adjecto charactere mensium X. Neomeniæ Ab character 3, 1, 316. Julii IX. feria III. cyclo Solis XXIV. littera F. anno Christi 883. Itaque Ab XVI. ineunte, horis 2. ab initio noctis, Luna defecit. Tabulæ Parisinæ plenilunium verum hora 5, 48′. à meridie diei 23. Julii. Cœpit eclipsis hora 6, 5′, 20″. Desiit hora 9, 21′, 20″ & Aractæ visa est statim ferè post ortum summa ejus obscuratio, quæ digitorum exstitit 10, 15′. Tota duratio horarum 3, 16′. Sol in Leonis gradu 4, 1′. Hic annus MCCVI. ab Alexandri morte non æquabilis, & vagus est, sed Syrorum more fixus. Etenim annus vagus Philippi MCCVI. additis ex regula CCCCXXIV. conficit annum Nabonassari MCCXXX. cujus Thoth iniit anno Christi DCCCLXXXII. Januarii XV. feria I. cyclo Solis XXIII. littera G. Quare eclipsis Lunæ cadit in annum æquabilem Nabonassari MDCXXXI. Philippi MCCVII. Phamenoth X. Similiter anno Dilkarnaim MCCXII. à morte Alexandri MCCXXIV. eclipsin aliam Lunæ contigisse memorat Albategnius cap. XXX. post meridiem horis 15, 35′. in Horizonte Aractensi, Sole in gradu Leonis 14, 36. constituto. Convenit Augusti III. horis 3, 35′. post mediam noctem. anno Christi DCCCCI. cyclo Lunæ IX. Solis XIV. littera D. Annus erat Judaicus 4661. cujus Tisri character 5, 12, 1032. feria V. Augusti XXVIII. cyclo Solis XIII. littera FE. anno Christi CM. Addito charactere mensium XI. (Est enim annus embolimæus:) formabitur character Ab, 1, 9, 35. Julii XIX. feria prima, cyclo Solis XIV. littera D. anno DCCCCI. Proinde Ab XVI. horis 9, 35′. ab ineunte nocte contigit Plenilunium. In Parisinis tabulis invenio veram oppositionem Augusti 3. hora post mediam noctem Aractæ 3, 8′. ac tum Luna tota defecit: Initium hora 1, 11′. Duravit horas 3, 38′. Solis verus locus in gradu Leonis 14, 32′. Non potest hac in descriptione alius esse annus ab obitu Alexandri, quàm fixus, & Julianus, qui ab Octobri cœpit anni Christi DCCCC. Etenim annus vagus ab Alexandri obitu MCCXXIV. iniit cum anno Nabonassari MDCXLVIII. à Thoth, qui X. diei Januarii convenit anni Christi DCCCC. Quare anno MCCXXV. vago ab Alexandri obitu Lunæ defectus accidit: Juliano verò MCCXXIV. Sed exemplorum satis est. Hinc evidens est, annos à morte Philippi, tam Julianos, quàm vagos, ab anno Periodi Julianæ 4390. mundi 3660. inisse. Sed Juliani à Kalendis Octobris, vagi à XII. Novembris, ubi Thoth Nabonassarei anni CCCCXXV. tum forte repertus est.

CAPUT XLII.

Expenditur nova quædam opinio de anno obitus Alexandri, qui duodecim annis tardiùs, quàm vulgò hactenus factum est, ponitur.

QUI novæ, veræque Chronologiæ titulum libro suo præscripsit, annum, quo Alexander M. obiit, diversa planè, & inaudita hactenus ratione constituit anno illo, qui ante Christianam æram putari solet undecimus supra trecentesimum. qui quidem in annum Jul. Per. confertur CCCCII. Olympiadis verò CXVII. primum. Ita duodecim annis tardius, quàm communis ratio fert, illius obitum assignat. Verùm quæ ad id efficiendum argumenta protulit, nequaquam idonea mihi videntur. Sunt autem ferè ex Livii testimonio petita. Primùm ille libro IX. Dec. I. annum Urbis conditæ CCCCXXXIV. ex Fastis Capitolinis, Varronianum verò CCCCXXXV. primum computat ab Alexandri obitu. quo etiam in loco fusè, elegantèque disputat, ecquid Alexandro, si in Italiam bellum transportasset, par esse virtus Romana potuerit. Atqui annus U. C. CCCCXXXV. est Per. Jul. 4395. Alter locus est lib. V. Dec. V. Ibi enim Macedonicum imperium à summo culmine fortunæ ad ultimum finem, centum quinquaginta annos stetisse scribit. Exstinctum est autem imperium illud anno U. C. Varroniano DLXXXVI. de quo detractis CL. residui sunt CCCCXXXVI. Hoc igitur anno Macedonum imperium cœpit. Est autem hic Urbis annus Periodi Julianæ 4396. Ergo eodem anno Persicum imperium in sese transtulit Alexander. cúmque sex illud annis tenuerit, circa annum 4402. obiit.

C. Lemma. & sequentibus.

Tertium partim ex eodem Livio, partim ex aliis auctoribus assumitur. qui Alexandriam conditam asseverant alio anno, quàm qui vulgò memoratur: nempe U. C. CCCCXXVII. quo Coss. fuerunt C. Pœtelius, L. Papirius Mugilanus. Solinus verò cap. XXXVIII. addit Olympiade CXII. esse constructam. Porrò cùm octo annis post Alexandriæ conditum vixerit Alexander, ex illa ratione consequens est, mortuum illum videri anno U. C. CCCCXXXV. Respondemus ex iis ipsis Scriptorum testimoniis, unum tantùm duodecim annorum μετοχεοτομὸν utcumque colligere. Nam primum & tertium

Livius lib. VIII Dec. I.

tertium non plures quàm sex annos efficiunt; si quidem aliquid inde concluditur. At non ita est. Etenim in priore, Livius non dicit anno U. C. CCCCXXXIV. ad quem Romanorum & Alexandri comparationem illam differit; mortuum esse Macedonem. sed tantùm ætate illa floruisse. Quippe initio quoque libri VIII. C. Plautio II. & L. Æmilio Mamerco Coss. hoc est anno CCCCXIV. *Eadem*, inquit, *ætas rerum Magni Alexandri est.* Non igitur exactè ac præcisè annum illum definit. Sic in secundo loco, qui XII. annos adstruere videtur, Livius rotundo numero CL. annos concipit, cùm revera nonnisi CXLV. numerentur. Ad postremum quod attinet, non dubium est hallucinatos illos omnes esse, qui Alexandriam Pœtilio, & Papirio Mugilano Coss. exstructam asserunt: hoc est anno Varroniano CCCCXXVIII. Periodi Julianæ 4388. ut paullò ante docuimus. Sed imprimis consideranda nobis est novæ opinionis minimè ipsa sibi consentanea ratio. Etenim modò annum CCCXI. ante æram Christi primum ab Alexandri obitu esse definit, è Kalendis Octobris. Est hic annus Per. Jul. 4402. quo annus primus iniit Olympiadis CXVII. Urbis autem Varronianus CCCCXLII. Hac ratione conditam esse oportet Alexandriam anno 4395. octavo ante Alexandri mortem. Aliàs verò annum illum, quo Perseus Macedonum postremus rex ab Æmilio devictus est, centesimum sexagesimum primum ante Christum; post Alexandri mortem, centesimum quinquagesimum primum computat; U. C. DLXXXV. Capitolinum. Atqui ambo ista pugnant invicem. si enim de 585. demas 151. residebit annus 434. Capitolinus, quo mortuus est Alexander. qui est Jul. Per. 4395. At annus 161. ante Christum numeratur in eâdem Periodo 4535. de quo detractis 132. superest 4403. qui est primus ab Alexandri morte. Ita circa annum 4402. obierit. Præterea octavum annum ante Alexandri obitum, quo condita est Alexandria, anno Fastorum Capitol. imputat CCCCXXVII. & proximo capite eumdem revera conditæ Urbis CCCCXV. fuisse disputat. Annus Capitolinus CCCCXXVII. incidit in Jul. Per. annum 4388. At CCCCXV. in annum 4376. Neuter octavus est ante annum illum, qui sit trecentesimus undecimus retrò annus à Christo. quem auctor idem primum ab Alexandri obitu numerat: videlicet Per. Jul. 4402. Sunt hæc igitur ἀσύγκλωστα, miniméque congruunt. Potest denique uno verbo confici quæstio ex iis, quæ suprà de lunari illa defectione diximus, quatam annus victoriæ Alexandri Magni de Dario, quàm Alexandriæ conditæ munitur. Cùm enim omnium consensione Scriptorum anno octavo ante mortem Alexander & Darium postremò ad Arbela vicerit, & de suo nomine urbem in Ægypto condiderit: ea verò nocte, quæ prælium antecessit, circa secundam noctis horam Luna defecerit; nullo id alio anno contigit, quàm qui in Jul. Per. censetur 4383. ante Christianam epocham trecentesimus tricesimus. Unde necessariò & κατὰ διάμετρον efficitur, Alexandrum obiisse anno CCCXXIII. ante Christum.

Cap. 87.

Cap. 88.

Cap. 89.

CAPUT XLIII.

De Æra contractuum sive Dhilkarnaim.

GRÆCI aliquot post Alexandri M. obitum annis, adeóque sub Seleucidarum Asiatico imperio novam æram & epocham auspicati sunt ab eo tempore, quo Seleucus in Asia regnare cœpit. Hic est annus Per. Jul. 4402. Olympiadis CXVII. primus, quo, ut auctor est Diodorus, Seleucus Babyloniam, unde Antigonum veritus profugerat, exigua manu recuperavit, & Nicanore Antigoni duce superato, Mediam, Susianam, aliásque provincias in ditionem suam accepit. Hinc igitur Seleuci imperium incipit; unde & Eusebius in Chronico Seleuci annos orditur: & Seleucidarum deinceps tempora propagata sunt. Idem insuper Eus. lib. VIII. de Demonst. cap. II. anno XII. post Alexandri mortem Seleucum Asiæ regnasse refert, qui est annus à Cyro CCXXXVIII. quod & verissimum est. Nam ab anno Per. Jul. 4155. quo Cyrus iniit, ad 4402. sunt anni totidem. Quoniam verò Alexander Ammonis filius habitus est, & duobus cornibus arietinis insignis illius, nec non successorum ejus imago visebatur, ideo Arabes Terik Dhilkarnaim, id est epocham διεζευγμένῳ æram illam nominarunt, ut rectè Scaliger observat: quod mihi probabilius videtur, quàm quod aliis placet; vel à duplici Orientis, & Occidentis imperio ita nuncupatum; vel quod arietem illum, de quo Danielis VIII. agitur, bello superarit. Sed in eo Scaligero, & ejus sectatoribus assentiri nequeo, quòd Alexandream nescio quam Periodum à Calippo vocatam, & illius honori dicatam sentiunt. Utrumque commentitium est. Alexandrea enim ab Alexandri successoribus vocata est; non ab Alexandro ipso; & citra Periodum, æra sola, & epocha id nominis est consecuta. Ea constat annis ferè Julianis ac fixis, quorum initium est ab Octobri. Ita ferè apud Albategnium in superioribus exemplis. Anno Christi DCCCXCI. Augusto mense currebat annus Dhilkarnaim MCCII. qui ab Octobri cœpit anni DCCCXC. Christi: ex quo sequitur, annum primum Dhilkarnaim inchoatum esse anno Per. Jul. 4402. Rursus anno Christi DCCCLXXXIII. Julii XXIII. erat, adhuc annus Dhilkarnaim MCXCIV. qui cœpit anno Christi DCCCLXXXII. Per. Jul. 5595. Unde idem efficitur initium anni primi Dhilkarnaim. Quod enim anni æquabiles, & soluti esse nequeant, ex iis, quæ capite proximo de æra Philippi, cum Nabonassarea comparata diximus, evidens est. Unus tamen locus est Albategnii; in quo Ægyptiacos annos ad hanc æram applicavit, uti lib. IV. demonstravimus. Etenim æquinoctium Autumnale, quod anno Christi DCCCLXXXII. observavit, Septem. XIX. deprehensum esse memorat anno Dhilkarnaim MCXCIV. post Alexandri mortem MCCVI. Non potest annus Dhilkarnaim esse Julianus. Quippe annus Christi 882. est Per. Jul. 5595. de quo detracti 4401. relinquunt 1194. ut ab Octobri anni 5595. inierit annus 1194. Atqui currebat hic ipse annus Augusto mense, qui Octobrem antecessit. Fuerit igitur annus Dhilkarnaim iste vagus, & à Thoth Nabonassareo cœperit oportet, qui Jan. XV. anni Christi 882. congruit. Ut enim annus Nabonassari CCCCXXXVII. inchoatus est anno Per. Jul. 4402. à Thoth in Novemb. IX. incidente. ita ab eodem Thoth cœpit annus primus vagus Dhilkarnaim. Detractis ergo annis 436. de anno Nabonassari currente, habes annos vagos Dhilkarnaim. Anno Christi 882. Jan. XV. cœpit Thoth anni 1630. Nabon. Deductis annis 436. superest annus 1194. qui ab eodem Thoth auspicatus est. Sed hæc capite illo libri IV. discussa. Postremò ridiculum est, quod in fine capitis Scaliger ariolatur; in illis numis Regum Syriæ, quorum à tergo homo nudus visitur cum baculo in sinistra manu dextra Solem gestans, lunam verò in vertice capitis; hominem illum nudum, esse annum, cujus menses lunares sunt in capite, hoc est penes Magistratum; solares autem sunt περίχειροι, expositi vulgi usui. Quod otiosum μάντωμα ludibrium magis, quàm seriam confutationem meretur. Hac æra Judæi potissimùm utuntur, ut ex libro secundo Machabæorum apparet, & ex recentioribus Judæis, qui hanc contractuum æram nominant.

Hebraïcè מנין שטרות: de cujus origine strenuè more suo nugantur. R. Abraham Levita Ben David scribit Alexandrum cum Simeone Justo, qui & Jaddus, pactum esse, ut omnes, qui illo anno nascerentur sacerdotibus, vocarentur Alexandri; útque numerum contractuum suorum ab eodem inchoarent anno; quem & ait fuisse egressionis ex Ægypto millesimum; mundi ter millesimum quadringentesimum quinquagesimum. quod & Elias in Thisbi retulit. Sed exoticæ Græcæque historiæ inscitia crassissimos stupidissimòsque Hebræis istis errores obtulit: in quibus non ille minimus est, quòd ab Alexandri ineunte regno, vel Asiatico imperio Contractuum æram putari sibi persuadent; quæ duodecim post ejus obitum annis, ab eo verò, quo cum summo Pontifice congressus est, circiter octodecim cœpit. Annus mundi ter millesimus quadringentesimus quinquagesimus Judaïci computi iniit anno ipso Periodi Julianæ 4402. duodecim annis post obitum Alexandri. Sunt qui שטרות interpretari malint *dominatus*, propter Alexandri successores, & imprimis Asiæ principem Seleucum. Utut se res habet, certum est æram istam ab anno mundi 3672. Periodi Julianæ 4402. incipere, Olympiadis CXVII. anno primo, Judaïco ineunte 3450. cyclo Solis VI. Lunæ XIII.

anno ante Dionysianam æram CCCXII. ab Exodo 1219. Tisri character 5, 7, 238. feria V. Septembris VI. litterâ G. Hæc fuit Neomenia primi anni contractuum Judaica; & fortassis etiam Hyperberetæi, nisi quis proximè sequentem malit Hyperberetæo: Syromacedonum imputare, hoc est Marcheswan, cujus character 6, 19, 1031. Octobris VI. Nam ab Octobri quoque fixi & Juliani Syrorum menses progressi sunt. Quod autem æram contractuum Judæi ab autumno deducant, probatione non indiget. Nam vel exemplum illud proximè allatum de ea re dubitare non sinit. Annus Judaicus 3450. cœpit ab autumno anni Periodi Julianæ 4402. at idem est primus anni Contractuum. Si enim à Nisan ejusdem anni Periodi Julianæ cœpisset, esset annus Judaïcus 3449. non 3450. Et verò consentanea est hæc epocha Magistrorum traditioni, qui in digestis Talmudicis, cap. ראש השנה docent Regum externorum tempora à mense Tisri computari solere; Judæorum autem à Nisan. Quamquam eadem hæc æra nonnumquam à Nisan progreditur, uti mox patebit. Chronicon Alexandr. ad annum tertium Olympiadis CXVII. Coss. Rullo, & Rutilio notat: ab hoc anno Syromacedonum, sive Apameensium æram incipere, & in Paschali notari. Consules isti cadunt in annum Urbis conditæ CCCCXLIV. Biennio plus dicit. Siquidem anno 4402. incidit annus Urbis conditæ 442.

CAPUT XLIV.

De diversis ejusdem æræ primordiis: qui anni Græcorum in libris Machab. appellantur. Scaligeri, & aliorum error.

NOTISSIMA est ἐναντιοφάνεια illa, quæ in Machabæorum libris duobus cernitur. De qua, quòd vulgata res aliqui sit, nihil hoc loco dicerem, nisi graviter ab nonnullis in illius interpretatione peccari viderem. Quæ res admonuit, ut & loca ipsa commemorarem, & ea breviter conciliarem invicem, & Scaligeri, aliorumque temeritati obviam irem; qui, ut Judæ Apostoli verbis utar, *quæcumque ignorant blasphemantes*, cùm universam Machabæorum historiam, tum secundum maximè librum erroris arguere non verentur, & à Canone segregare; quòd contrarias inter se illorum auctoritates nulla ratione pacificari posse sentiant. Quos tum demum non minùs stolidè, quàm impiè ista scripsisse constabit, ubi diffidentia aliquot loca singillatim exposuero.

Horum sunt illa ferè præcipua. Primus est conflictus, lib. I. Machab. cap. VI, 16. cum lib. II. cap. XI. Nam in priore libro obitus Epiphanis confertur in annum Græcorum CXLIX. Huic statim filius Eupator successit. At lib. II. Antiochi Eupatoris litteræ exstant datæ post patris obitum anno centesimo quadragesimo octavo. Rursus lib. I. cap. VI, 20. Judas Hierosolymitanam arcem obsidet anno centesimo quinquagesimo Græcorum; sed qui in arce Gentiles erant, ad Regem confugerunt Antiochi Epiphanis filium Eupatorem; qui in Judæam veniens cum Juda pugnavit; mòxque pacem cum eo composuit. At lib. II. cap. XIII, 1. anno centesimo quadragesimo nono Eupator in Judæam impressionem fecit; ac cetera perfecit, quæ lib. priore referuntur. Tertiò lib. I. cap. VII, 1. Demetrius Seleuci F. anno centesimo quinquagesimo primo Româ profectus venit in Syriam, & Antiochum, ac Lysiam interemit, ad cumque venit impius Alcimus. At libro II. cap. XIV, 4. anno id centesimo quinquagesimo contigisse dicitur.

Scaligeri opinio describitur.

Scaliger in prima Operis hujus editione triplicem distinguit annum: primum Seleucidarum Alexandreum ab initio Seleuci Nicanoris, qui cœpit anno Periodi Julianæ 4402. cyclo Lunæ XIII. Eo non solùm Albategnium, sed & Antiochenam Ecclesiam, ac veteres Synodos uti censet. Alterum Seleucidarum Judaicum, qui à sequente Nisan exorsus est, anno Periodi Julianæ 4403. Hunc annum numerat 3449. Judaici computi. Tertium denique Seleucidarum Chaldaicum nominat, cujus initium est anno integro post æram Alexandream; nimirum à Tisri anni Periodi Julianæ 4403. Genus istud anni in secundo libro Macch. usurpari putat; in priore verò annum secundum, hoc est Seleucidarum Judaicum.

Hanc Scaligeri in prima editione sententiam Serrarius, & Torniellus ita sequi voluisse videntur, ut ab ejus mente plurimùm aberrarint. Nam Serrarius in IV. particula primæ Partis comment. in libb. Machab. ubi de Antiocho Epiphane agitur, triplicem, uti Scaliger, discernit annum. Primus ineunte Seleuci imperio ab Elul, vel Tisri cœpit, qui Judaicum Nisan sex mensibus antecedit, & Alexandreus, vel Antiochenus dicitur. Secundus est Judaicus, qui ab Nisan cœpit, sex mensibus post Alexandrei epocham. Tertius est Syrogræcorum, vel Chaldæorum, qui sesquianno post Judaicum iniit à Tisri: biennio solido post Alexandreum Seleucidarum. Primo genere (inquit) utuntur Antiocheni: secundò liber I. Macch. tertiò liber posterior. Serrarius Scaligeri sententiam non est assecutus.

Torniellus verò Serrarium imitatus Scaligeri & ipse mentem non est assecutus. Etenim ad annum mundi 3742. & 3743. & 3744. triplicem illam epocham statuit. Anno quippe 3742. desinente anno primo Olympiadis centesimæ decimæ septimæ, & ineunte secundo, Seleucum iniisse credit. at anno sequenti, qui secundus erat Olympiadis ejusdem, à Nisan inchoatos asserit annos Græcorum, quibus liber primus Macchab. utitur, currente Seleuci primo. Demum anno Seleuci secundo, qui concurrit cum tertio Olympiadis CXVII. æram Græcorum in Chaldæa cœpisse, qua posterior Macch. liber utitur. Nec Torniellus.

Verùm tam Scaliger in editione illa prima falsus est, quàm qui Scaligerum secuti sunt, & quidem dupliciter. Nam & à mente, uti dixi, Scaligeri, & à rei veritate recesserunt. Cùm enim inter primam & tertiam æram unius dumtaxat anni spatium intercessisse Scaliger existimet; inter secundam autem, aut tertiam, τὸ ἑξάμηνον, id est semestre spatium; ambo illi inter duas extremas, solidum biennium; inter secundam, tertiámque, sesquiannum interponunt. Torniellus verò præcipuum illud habet, ut sibi ipsi contradicat. Etenim primum annum Seleuci dicit incœpisse anno exeunte primo Olymp. CXVII. mundi 3742. Cœpit igitur verno aut æstivo tempore; cùm præsertim affirmet primum ejus annum cum secundo Olympiadis ferè totum concurrere. Igitur secundus Seleuci cœpit à vere, vel æstate anni 3743. similiter tertius Seleuci à verno, vel æstivo ineunte tempore anni 3744. Quare si annus Græcorum Chaldaicus ab autumno cœpit, (ut ipse docet ad annum 3743. N. 3.) idque anno mundi 3744. necesse est ut anno tertio Seleuci jam inchoato primus ille Chaldaicus incœperit: non autem cum secundo Seleuci ferè totus concurrerit: ut ad annum 3744. scribit. Quinetiam cùm Antiocheni anni Seleucidarum initium ab autumno ducatur anni 3742. non exeunte primo Olympiadis CXVII. sed secundo jam tribus ante mensibus inchoato cœperit oportet. Sanè Seleuci primordium in autumnum conferri debet, non in vernum, æstivúmque tempus. Tum falsi quàm Scaliger errore lapsi.

Ac Scaligeri quidem opinio duplici vitio laborat. Nam neque Seleucidarum Alexandrea epocha, Judaicâ primi libri Macchab. anterior est, sed posterior; & eadem omninò cum æra libri secundi: tum falsò annus Judaici computi 3449. statuitur, quo Alexandrea, & Judaïca libri prioris æra cœperit: quæ omnia paullò post ostendemus. Ex iisdem principiis Tornielli & Serrarii rationes erroris arguentur, qui biennio libri posterioris æram à Seleucidarum epochâ summovent; sesquianno verò ab illâ libri prioris. Atque ut cum Torniello potissimùm; qui & Annales professus est, & subtiliùs ista discussit, de ea quæstione disputemus; natalem is Christi, quem à communis æræ natali non distinguit, confert in annum mundi 4051. Est autem hic annus Julianæ Periodi 4713. Deductis ergo 4051. de 4713. residui sunt 662. qui ex methodo perpetua ad annos mundi in Tornielli Annalibus additi, dabunt annos Julianæ Periodi, quibus iidem anni congruunt. Quoniam itaque anno mundi 3742. Seleucus iniit, additis 662. confiet annus Jul. Per. 4404. quo Seleucus imperare cœpit. Sic anno Per. Jul. 4405. à Nisan epocha Judaïca lib. I. Macchab. inchoatur; anno verò 4406. æra libri posterioris. Atqui demonstratum est superiori capite Seleucum cœpisse anno Per. Julianæ 4402.

Biennii

Biennii itaque metachronismo peccant Annales in epocha Seleuci; ut & in ea, quæ est lib. I. Macchab. triennii porrò in æra libri posterioris. Quod vitium ex natali Christi non rectè constituto derivatum est. Biennii quippe errore ibi lapsus est. At æra Chaldæorum convenit anno Periodi Julianæ 4403. ut posteà probabitur; quæ in Annalibus Tornielli triennio posteà cœperit, anno 4406. Sed Chronologiæ istius errorem aliquot Scripturæ testimoniis hoc modo convincemus. Mortuus est Antiochus Epiphanes, ut est in primo Macchab. libro, anno centesimo quadragesimo nono Græcorum; in secundo verò, anno centesimo quadragesimo octavo. Est hic annus, ut è superioribus liquet, posteáque confirmabitur, Periodi Julianæ 4550. cujus ab Nisan iniit annus Græcorum Judaïcus centesimus quadragesimus nonus. Antiochi mors intra primos istjus anni menses accidit: quemadmodum Torniellus ad annum 3891. N. 2. scribit: quandoquidem Judas post ejus obitum eodem anno multa gessit. Quod si verum est, jam alterius æræ, quam Chaldaïcam vocant; non centesimo quadragesimo octavo; sed septimo anno mors illa contigerit. Octodecim quippe solidis mensibus epocha libri secundi posterior est. Itaque anno illo, quo prioris libri cœpit annus CXLIX. putà mundi, ut Torniellus numerat 3891. iniit annus posterioris Libri, & epochæ centesimus quadragesimus octavus à mense Tisri; centesimus verò quadragesimus nonus anno sequente, mundi 3892. hoc est mensibus decem & octo post priorem epocham, ut Torniello, & Serrario videtur. Proinde mortuus erit Antiochus anno Græcorum à Nisan centesimo quadragesimo nono; à Tisri, centesimo quadragesimo septimo; quod cum Scripturæ auctoritate pugnat. Et ut universè dicam; æra Libri prioris semper biennio majorem annorum numerum continere debet, quàm posterioris, si Tornielli, ac Serrarii rationes auscultemus: quod secùs tamen habere cernimus. Numquam enim, exempli causâ, annus centesimus quinquagesimus à Nisan putatus concurret cum centesimo quadragesimo nono à Tisri inchoato; fi Tisri non eodem anno Juliano proximè ab Nisan inierit, sed octodecim mensibus à Nisan elapsis.

De Sabbaticis annis.

Præterea ex annorum Sabbaticorum serie, trium illorum Scriptorum error arguitur. Sed pauca priùs de Sabbaticis annis ex iis, quæ libro superiore scripsimus, repetenda videntur. Anni isti ab autumno ac Tisri mense initium sumunt, consentientibus omnibus; adeóque Torniello ipso ad annum 2584. qui quidem anno 2590. uti N. 5. testatur, annum primum Sabbaticum assignat: idque in Chronologica Tabula, pag. 476. confirmat. Neque tamen satis explicat, utrum anno illo 2590. ab autumno cœpisse velit primum Sabbaticum; ita ut tres tantùm, vel quatuor illius anni menses Sabbatismus occuparit; an Sabbatici anni Neomenia in annum 2589. incidat, & anni sequentis menses octo, vel novem Sabbatici fuerint. Ceterùm tres sunt anni Sabbatici, uti libro superiore, cap. XXV. demonstratum est; de quibus dubitare non licet. Primus est annus Græcorum centesimus quinquagesimus epochæ libri primi Macchab. quem in annum mundi 3892. incidisse, Torniellus ad eum annum, N. 4. censet. Alter est Græcorum ejusdem epochæ centesimus septuagesimus septimus exiens; & iniens centesimus septuagesimus octavus. Hujus enim mense undecimo, qui est Schebath, & ante Nisan tertius, Simon interficitur, I. Macch. XVI, 14. Itaque Tisri anni illius Sabbatici sex mensibus initium anni CLXXVIII. æræ prioris antecessit. quem annum Torniellus mundi numerat 3920. Tertius est annus ille, quo Hierosolyma ab Herode, & Sosio capta sunt. Hunc enim Josephus lib. XIV. Orig. cap. XXVIII. Sabbaticum asserit fuisse, Agrippa & Caninio Coss. Sed Torniellus annum esse mundi credit 4018. quo currente, ejúsque mensibus æstivis, Sabbaticum annum processisse constat; quoniam tertio mense, id est Siwan capta sunt Hierosolyma. unde à Tisri anni 4017. Sabbaticus annus incœpit. Nos è tribus iisce Sabbaticis primum iniisse monstravimus à Tisri anni Periodi Julianæ 4550. secundum à Tisri anni 4578. tertium à Tisri anni 4676.

His constitutis, uti pressiùs cum Torniello pedem conferamus, ita ratiocinabimur. Annus Sabbaticus ab Autumno cœpit. Aut igitur Sabbatici illi ab Autumno annorum mundi, quibus illigantur, inchoati sunt: aut ab Autumno proximè antecedente, nimirum à Tisri annorum 3891, 3919. & 4017. Neutro autem modo Græcorum anni unitate majores cum minoribus ambo simul erunt Sabbatici. Fingamus anno mundi 3892. ab Autumno cœpisse annum Sabbaticum, quem centesimum octogesimum septimum in Sabbaticorum serie numerat Torniellus Tabula Annali pag. 412. Tomi secundi. Anno itaque Græcorum prioris epochæ centesimo quinquagesimo, post ejus initium sex elapsis mensibus, cœpit annus posterioris æræ centesimus quadragesimus nonus; idémque Sabbaticus. anno verò 3893. à Tisri inchoatus est annus centesimus quinquagesimus æræ posterioris, currente jam centesimo quinquagesimo primo, qui à Nisan processit. At verò Sabbaticus annus congruere debet in ætatem illam, quæ Nisan proximè secuta est, à quo prioris æræ CL. annus incœpit: ut ex lib. I. Macch. & Josephi testimonio paullò post constabit. Sin autem à Tisri antecedente annos illos mundi, quibus Sabbaticos Torniellus adscribit, isti processerunt; nempe annorum 3891, 3919. & 4017. multò magis idem ὕστερον concluditur. Si enim anno mundi 3891. cœpit ab Autumno Sabbaticus annus centesimus octogesimus septimus, currente adhuc anno Græcorum epochæ prioris centesimo quadragesimo nono; ineunte verò centesimo quadragesimo octavo posterioris; quando Sabbaticus annus desiit, inchoabatur annus posterioris æræ centesimus quadragesimus nonus. Atqui Sabbaticus annus incurrit in centesimum quinquagesimum unius æræ; alterius verò centesimum quadragesimum nonum. Est igitur Annalium istorum ratio prorsus ἀσύστατος, qui inter epocham utramque sesquianni intervallum statuunt.

In libro I. Macch. cap. VI, 53. scriptum est Judæos ab Antiocho Eupatore Hierosolymis obsessos inopia laborasse, eo quòd annus septimus esset: ὅτι μὴν ὄντος ἀπαυνηκαμμένου καρποῦ (ait lib. XII. cap. XIV. Josephus) τῆς γῆς ἐκείνῳ τῷ ἔτει μὴ γεωργουμένης· ἀπὸ γὰρ τοῦ εἶναι τὸ ἕβδομον ἔτος, κατὰ τὸν νόμον ἦν νόμιμον ἀργὴν εἶναι τῇ χώρᾳ, ἀσπόρου μεμενηκυίας. *Cùm fruges, quæ comportatæ jam erant, essent consumptæ; nec agri per annum illum culti fuissent, sed, quòd septimus annus incíderat, in quo feriatam, & incultam terram relinquere oportet, nulla sementis esset facta.* Accidit hæc obsidio, ac penuria propter annum Sabbaticum, Græcorum æræ prioris anno centesimo quinquagesimo; posterioris autem centesimo quadragesimo nono; mundi, ut Torniellus putat 3892. æstivo tempore. Quare necesse est, ut Sabbaticus annus ab Autumno antecedente cœperit anni 3891. unà cum anno posterioris æræ centesimo quadragesimo nono; atque adeo prior æra posteriorem sex tantùm mensibus antevertat, non sesquianno. Neque enim anno CL. mundi 3892. frumenti penuria ob Sabbatici anni religionem sentiri potuit; nisi superiore anno sementis jam intermitti cœpisset. Nam à Tisri Sabbatico agros serere desierant; metere autem ideo non potuerunt post Nisan sequentem anni prioris æræ centesimi quinquagesimi.

Ita Sabbaticus primus in iisdem Annalibus inchoari debuit anno 2589. Sabbaticus centesimus nonagesimus primus anno 3919. Sabbaticus ducentesimus quintus, anno 4017. Hæc enim Sabbaticorum annorum ratio est, ut minore numero de majore subtracto, residuus sit septenarius. Si ergo de 4017. detrahas 3919. supererunt 98. qui numerus est septenarius. Idipsum & in ceteris experiere. Unde consequens est, ab Autumno annorum, quos dixi, Torniellum Sabbaticorum suorum initia computare debere. atque ita solido biennio Sabbaticus quilibet antè cœperit, quàm annus ille posterioris æræ, qui cum Sabbatico in Scriptura conjungitur. Annus Sabbaticus CLXXVII. iniit anno mundi 3891. anno 3892. à Nisan inchoatus est annus Græcorum prioris æræ centesimus quinquagesimus: anno eodem post sex menses, desito anno Sabbatico, cœpit annus æræ posterioris centesimus quadragesimus nonus: qui tamen in libris Macchabæorum cum Sabbatico copulatur. Item anno illo Juliano, quo desiit annus centesimus septuagesimus septimus æræ prioris, & iniit centesimus septuagesimus octavus; currebat annus Sabbaticus ex Autumno superioris anni: ut ex I. Macch. XVI, 14. liquet. Hunc annum Torniellus mundi 3920. computat, quo cœpisse dicit annum Græcorum CLXXXVIII. epochæ prioris; posterioris verò CLXXVII. Si annus Græcorum libri primi centesimus septuagesimus octavus cœpit inito jam anno Sabbatico, hic igitur inchoatus est anno currente